

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLVI. Christus Ad Quaestionem Scribae De Maximo Legis Mandato
Accurate Respondet.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

propositas hactenus commemoraverat. Cumque Lucas quaestionem de maximo mandato à Phariseis Christo motam non commemoret, inde statuunt, verba ista Lucæ non subjungenda esse responsioni Christi ad Sadducæorum quaestionem dato, sed responso ad quaestionem Phariseorum de maximo in lege mandato à Christo dato, cui etiam à Marco cap. duodecim. vers. 35. subjunguntur. Sed quia Lucas responsioni ad Sadducæorum quaestionem ea disertè subjicit, rectius dicitur, ea de solis Sadducæis accipienda esse, quod scilicet Christus hoc responso suo ipsis os sic concluderit, ut non amplius ausi fuerint pluribus hujusmodi quaestionibus ipsum exercere, ac quod Sadducæis obtigit, id paulò post etiam Phariseis eadem ratione à Christo repressis obtigisse Marcus commemorat. Quidam responsionem quaerunt in adjecto *et ceteris* ex illa die, hoc est, post illum diem. Illà die adhuc interrogabant, sed postea non ausi sunt amplius interrogare. Sed dies hic simpliciter ponitur pro tempore, ex illo tempore vel hora non ausi sunt amplius eum interrogare. Prior igitur explicatio est simplicior. Ex hoc triplicis colloquii cum Sadducæis de resurrectione instituti eventum colligitur. 1. Quod veritas, quò magis premitur,

eò magis instar palmæ exurgat; quò magis abscondi quaeritur, eò magis in lucem erumpat. 2. Qui Christum & ipsius confessores quaerunt confundere, ipsimet justo Dei judicio confunduntur. Quò magis Sadducæi & Pharisei Christum voluerunt populo exosum & odiosum reddere, tantò fit gravior & illustrior. 3. Doctrina Christi in cordibus auditorum efficax est, & admirationem imò stuporem illis affert, qui est conscientia intrinseca & taciti assensus quoddam testimonium. 4. Fulgor veritatis tantus est, ut clausos quandoque adversariorum oculos etiam percellat. 5. Quando adversis & contrariis signis hostes adversus veritatem pugnant, ipsimet quandoque inter se contentiones excitant, ut veritati expeditior victoria obtingat Act. 23. v. 6. & seqq. 6. *Venena invidia possunt quidem superari, sed difficile conquiescere*, ait Beda in cap. 20. Luc. *Malitia frequenter quidem vincitur, non tamen placatur*, ait Autor oper. imperf. homil. 42. 7. Ut Christus *omnia bene fecit* Matt. 7. v. 37. ita quoque omnia bene dixit, erat enim *potens verbo & opere* Luc. 24. v. 19. illi cum Patre & Spiritu sancto sit laus honor & gloria in secula.

CAPUT CLVI.

CHRISTUS AD QUÆSTIONEM SCRIBÆ DE MAXIMO LEGIS MANDATO ACCURATE RESPONDET.

MATTH. 22. VERS. 34. MARC. 12. VERS. 28.

RATIO ORDINIS.

Disputationi Christi cum Sadducæis de resurrectione mortuorum instituta Lucas subjungit quaestionem Phariseis & Scribis à Christo propositam de Messia, quomodo simul possit esse Davidis filius & Dominus? Sed ex Matthæo & Marco colligitur, inferendam hic esse quaestionem de maximo legis mandato à quodam Scriba Christo motam, quam immediatè secutam fuisse colloquium cum Sadducæis de resurrectione habitum, patet ex occasione illius quaestionis, quam Matthæus describit his verbis: *Pharisei autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, conveniunt in unum, & interrogavit eum unus ex eis legis doctor.* Marcus eodem fere modo: *Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos, Christum scilicet & Sadducæos, disputantes, & videns, quoniam bene illis responderat, interrogavit eum.* Occasio ergo quaestionis de maximo mandato Christo à Phariseis proposita, fuit disputatio cum Sadducæis instituta, in qua Christus victor extiterat. Præterea quaestio illa de Messia, quam Lucas disputationi cum Sadducæis subjicit, originem duxit ex quaestione de maximo legis mandato, ut in sequenti capite ostendetur, utique ergo quaestioni de Messia præmittenda est quaestio de maximo mandato. Quid quod ipse Lucas satis manifestè indicat, quaestionem de Messia non fuisse immediatè subjectam colloquio cum Sadducæis de resurrectione mortuorum instituto. Præmittit enim quaestioni de Messia, quod quidam Scribarum, qui interfuerant disputationi Sad-

ducæorum, respondentes dixerint: *Magister, bene dixisti*, quam responsi Christi approbationem & comendationem fuisse occasionem quaestionis de maximo legis mandato à quodam Scriba Christo proposita, apparet ex Marco. De ordine igitur nulla potest esse dubitatio, qui hoc etiam loco de quibusdam nos utiliter monere potest. 1. Silentium impositum erat Sadducæis per efficacem erroris refutationem, sed Pharisei silere & conquiescere noluerunt, quin potiùs ex Sadducæorum silentio occasionem loquendi & quaerendi captarunt; ex quo intelligitur, quod cum Sadducæis, à quibus alioqui opinionibus plurimum dissidebant, contra Christum conspirarint & eorum debellationem suam interpretati fuerint injuriam, cum de errore ipsorum pestifero debellato sibi & veritati potiùs gratulari debuissent. Hieronymus in cap. 22. Matth. *Quod de Herode & Pontio Pilato legimus, in Domini nece eos fecisse concordiam, hoc etiam nunc de Phariseis cernimus & Sadducæis, qui inter se contrarii sunt, sed ad tentandum Jesum pari mente consentiunt.* Sed hac de re in exegesi pluribus dicitur. 2. Christus ad quaestionem, an census Cæsari dandus sit, necne? responderat, *danda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei.* Ut ergo intelligeremus, quam sint Dei, h. e. Deo debita & à nobis danda, ideo in hac pericope jam subjungitur, inter ea vel maxime eminere dilectionem ex toto corde, quinimò dilectionem complecti illa omnia, quæ Deo juxta legis præscriptum debemus, cum præceptum de dilectio-

dilectione Dei sit maximum legis mandatum. 3. Christus divinam suam sapientiam in *questione quadam Theoretica*, de resurrectione mortuorum, demonstraverat, in hac pericope divinam suam sapientiam in *questione practica* de maximo legis mandato demonstrat, ut theoriae praxin semper coniungendam esse ostendat. Quæritur autem circa hanc Historiæ seriem. 1. An quæstio illa, quam hoc loco Pharisei Christo proponunt, sit eadem cum illa, quam Lucas cap. 10. vers. 25. à quodam Legisperito Christo fuisse propositam commemorat? Calvinus in Harmonia in unum eundemque locum utramque confert, usus hac ratione, quod *Matthæus & Marcus affirmant, hanc fuisse ultimam quæstionem, quâ tentatus fuerit Dominus, cuius rei Lucas nullam faciat mentionem, videri autem consultò eam prætermittere, quia alibi retulerat. Quamvis verò subjungat, se non contendere, quod sit eadem Historia, cum Lucas à reliquis duobus habeat quadam diversa, tandem tamen concludit: Sive Lucas alieno hoc loco retulerit, sive nunc prætermiserit alteram interrogacionem, eò quod prior illa narratio quoad doctrinam sufficeret, doctrina similitudinem videri hoc postulare, ut tres Evangeliste inter se conferantur. In eandem sententiam propendet Brentius homil. 95. in Lucam, sic scribens: Quod Lucas dicit, legisperitum recitasse leges de diligendo Deo & proximo, hoc Matthæus cap. 22. dicit, Christum recitasse. Marcus autem conciliat Lucam & Matthæum, ac scribit, primum quidem has leges à Christo recitatas, deinde autem à Legisperito reperitas esse. Quamvis verò quadam utriusque Historiæ convenientia deprehendatur, utpote quod utrobique quæstionem proponit *ῥωμῶς* Matth. 22. vers. 35. Luc. 10. vers. 25. quod mandatum de dilectione Dei & proximi utrobique ex lege adducitur Matth. 22. vers. 37. Marc. 12. vers. 30. Luc. 10. vers. 27. tamen longè major diversitas occurrit. 1. Ratione temporis. Quod Lucas recenset, tertio ministerii Christi anno contigit, ut in cap. 105. Harmonia demonstratur, sed quæ Matthæus & Marcus hoc loco recensent, quarto ministerii anno, ac tertio ante passionem die contigerunt, ut Historiæ series offendit. 2. Ratione occasionis. Quæstionis apud Lucam motæ occasio fuit, quod Scriba audiens Christum discipulos suos hoc nomine beatos prædicare, quod Messiam in carne exhibitum viderent, protinus contra Domihum insurrexerit & quæstionem captiosam ipsi proposuerit; sed quæstionis apud Matthæum & Marcum Domino propositæ occasio est sapientissimum Christi responsum Sadduceis datum, quo silentium ipsis fuerat impositum. 3. Ratione ipsius materiæ sive quæstionis. Apud Lucam quærit Legisperitus: *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Apud Matthæum & Marcum quærit: *Magister, quodnam est mandatum maximum in lege?* 4. Ratione seriei Historice. Apud Lucam Legisperitus ipse recitat mandatum de dilectione Dei & proximi, quam responsonem Scribæ Christus approbat subiiciens, *Rectè respondisti.* Sed apud Matthæum & Marcum Christus recitat summam totius legis moralis in dilectione Dei & proximi consistentem, quam responsonem Christi Scriba approbat, subiiciens: *Bene Magister, in veritate dixisti.* 5. Ratione eventus. Scriba, qui apud Matthæum & Marcum quæstionem proponit, tandem discedit non malè*

erga Christum affectus, acquiescit enim Christi responso ac signum docilis animi exhibet, quin & Christus de eo pronunciat, quod non longè absit à regno calorum: sed Lucas hominem præfractum & factu Pharisæico urgentem introducit, in quo nulum respicientiæ vel docilitatis signum apparet, quâ de re sic differit Augustinus lib. 2. de conf. Evang. cap. 73. *Lucas non hoc ordine, sed longè alibi tale quid interponit. Utrum autem hoc recordetur, an alius ille sit, cum quo similiter de duobus istis præceptis Dominus egerit, prorsus incertum est. Hic autem etiam rectè videtur alius esse, non solum propter ordinis multam differentiam, sed quia etiam ipse dicitur respondisse Domino interroganti, & in sua responsonem commemorasse duo ista præcepta: Et cum ei dixisset Dominus, hoc fac & vires, ut illud faceret, quod magnum esse in lege ipse responderat. Secutus Evangelista ait: ille autem volens se justificare, dixit: Et quis est meus proximus? tunc Dominus narravit de illo, qui descendebat ab Hierusalem in Jericho & incidit in latrones. Unde quia & tentans prædictus est: Sive Lucas alieno hoc loco respondit, & post admonitionem Domini dicentis: hoc fac & vires, non bonus commendatur, cum dicitur de eo: Ille autem volens se justificare. Iste autem, quem pari ordine Matthæus & Marcus commemorant, tam benè commendatus est, ut ei diceret Dominus, non longè es à regno Dei, probabilisq; creditur, hunc alium esse, non illum. Nequaquam igitur huius quæstionis de maximo mandato enarrationem Lucas ideo prætermisit, quia eandem cap. 10. commemoraverat, sed quia à reliquis duobus Evangelistis Matthæo & Marco sufficienter eam descriptam vidit, & quia simile quid dicto loco recensuit. 2. An Matthæus & Marcus unam eandemque hic describant Historiam. Quidam in negantem abeunt sententiam Flacius in notis ad cap. 22. Matt. *Possit quia non immerito suspicari, hunc Scribam apud Marcum esse diversum ab eo, quem Matthæus describit.* Rationes possunt formari ejusmodi: 1. Matthæus dicit occasionem quæstionis fuisse eam, quod *Pharisei audierint silentium à Christo Sadduceis esse impositum?* Marcus contra hanc occasionem commemorat, quod unus ex Scribis, qui audierat Christum cum Sadduceis disputantem, videns, quod benè respondisset, eum interrogaverit. 2. Matthæus dicit, *Phariseos convenisse in unum, & unum ex eis interrogasse Christum;* Marcus dicit, *unum ex Scribis accessisse.* Priorem ergo quæstionem apud Matthæum proposuerunt omnes conjunctim; posteriorem unus separatim. 3. Matthæus eum, qui Christo quæstionem proposuit, vocat *ῥωμῶς* & Pharisæum, Marcus *ῥεαυμαῖα*, Scribam. 4. Matthæus dicit, Scribam proposuisse quæstionem *animò tentandi*, sed qui apud Marcum quæstionem proponit benè erga Christum videtur affectus, & reportat à Christo hoc præconium, quod *ῥεαυμαῖα* responderit & non longè sit à regno Dei. 5. Apud Matthæum quæritur de mandato maximo, apud Marcum de primo. 6. Apud Matthæum mandatum dilectionis solum recitatur, apud Marcum præmittitur procemium: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* 7. Apud Matthæum Deus dicitur diligendus *ex toto corde, ex tota anima & ex tota mente;* apud Marcum additur, *quod sit diligendus ex tota virtute.* 8. Apud Matthæum *ῥωμῶς* non approbat vel commendat Christi responsonem; apud Marcum Scriba responsum Christi repetit & approbat. Sed hæc omnia nondum debent nos permo-*

permovere, ut diversâ Matthæo & Marco Historias describi statuamus, cum connexionis series & omnes circumstantiæ ostendant, unam eandemque Phariseorum quæstionem de maximo legis mandato, ut & unam eandemque Christi responsum de diligendo Deo & proximo, ab utroque Evangelista describi. Respondendum igitur ad argumenta in contrarium adducta. 1. Christus sapientissimo suo responso silentium imposuerat Phariseis, non imperando eis ut tacerent, sed quia non habebant, quod regerent. Hæc ergo invicem non pugnant, quod Phariseis quærendi occasionem dederit silentium Sadducæis impositum; Scribæ verò sapientissimum Christi responsum. Media & finis non sunt pugnantia, sed subordinata. 2. Ad alterum diversitatis membrum non uno & eodem modo ab omnibus respondetur. Quidam statuunt Phariseos non fuisse Christo præsentem, quando cum Sadducæis disputabat, postquam a. ex relatione Scribæ, qui interfuerat, intellexerunt, Sadducæos in disputatione à Christo esse victos, tunc ipsos congregatos fuisse, & de nova tentationis machina Christo admovenda consilium cœpisse, non tamen omnes ad Christum ivisse, sed unum tantum ex suo ordine ipsos ad Christum ablegasse. Id colligunt ex Marco, qui unum duntaxat Scribam accessisse dicit, uti etiam ex eo, quod Christus in responso suo unum duntaxat alloquitur. Sed huic sententiæ refragari videntur dispersa Matthæi verba: *Pharisei audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum, & interrogavit eum unus ex eis.* Utiq; ergo, quando illa quæstio Christo proposita fuit, etiam alii Pharisei præsentem fuerunt: si enim absentes fuissent, non diceretur, & interrogavit unus ex eis. Accedit, quod post responsum ad quæstionem de maximo legis mandato à Christo datum statim subjicit Matthæus: *Congregatis autem Phariseis, interrogavit eos Jesus:* utique ergo congregati & præsentem fuerunt, cum Christo proponeretur quæstio de maximo mandato, & Christus ad eam bene responderet. Quidam statuunt, Phariseos præsentem quidem Christo fuisse, quando cum Sadducæis disputabat, non tamen fuisse congregatos, quia expectabant prius finem disputationis; cum autem viderent superatos Sadducæos, tunc demum fuisse congregatos ad deliberandum quid porro agerent. Quod enim Marcus de uno dicit, ipsum interfuisse disputationi cum Sadducæis, illud de aliis etiam Phariseis & Scribis intelligendum relinquit. Sed huic sententiæ adversatur, quod Matthæus non dicit, Phariseos vidisse silentium à Christo Sadducæis fuisse impositum, sed *audivisse*, ex aliorum scilicet relatione, quodque disertis verbis idem Evangelista asserit, Phariseos audito Christi responso ad quæstionem de censu Cæsari dando *miratos fuisse & relicto illo abiisse.* Dicendum igitur cum Chrysolomo, quod post responsum Christi datum ad quæstionem de censu aliqui Phariseorum abierint, ut colligitur ex Matthæo, quidam verò turbæ auditorum intermixti manserint apud Christum, observantes ejus dicta, qui audiverunt disputationem Christi cum Sadducæis, ac subjecerunt illud, quod est apud Lucam, *Magister bene dixisti.* Postmodum idem videlicet Sadducæos à Christo esse victos, reliquis Phariseis nunciaverunt, qui invidia &

& vindictæ cupiditate impulsii convenerunt in unum, & ad Christum magno numero redierunt, unus tamen ex illis omnium nomine quæstionem proposuit. 3. Quidam statuunt eosdem fuisse νομικῶν & γραμματέων, Legis doctores & Scribas (puta Ecclesiasticos, de quibus passim in Historia Evangelica fit mentio, de politicis Scribis, quos Scriptura Veteris Testamenti commemorat. Exo. 5. v. 6. Jos. 23. v. 2. 1. Paral. 23. v. 4. Esdr. 4. v. 8. hoc loco non agitur.) Neq; enim Scribæ à scribendo dicti sunt, quanquam haud absurdè à quibusdam statuitur, quod ipsis solis licuerit sacros libros describere, ne depravarentur, sed à Scripturis sacris, sicut νομικοὶ à νόμῳ sive lege, quia ipsorum munus ac professio erat, sacras literas evolere & scrutari, eas populo prælegere & exponere, ac si quid dubii oriretur, ex illis responsa dare, ut colligitur ex Matth. 2. vers. 4. cap. 7. v. 29. cap. 23. v. 2. 1. Cor. 1. vers. 20. Hebræis dicuntur סופרים à ספר quod non solum est scribere, sed etiam recensere, enarrare, exponere, quia divinas Scripturas populo prælegebant atque explicabant Matth. 13. v. 12. cap. 23. v. 2. quod ipsum etiam ex libris Esdræ & Nehemiæ colligitur, atque ex eo vocabantur *Scribe domus Domini* 1. Par. 18. v. 16. 2. Reg. 22. v. 18. sicut politici Scribæ erant custodes publicarum tabularum, in quibus actiones publicæ describebantur: sic penes Ecclesiasticos Scribas libri legis erant q. depositi, quippe quorum interpretatio ipsis erat commissa. Inde qui à reliquis Evangelistis dicuntur γραμματέων, illos Lucas videtur vocare νομικῶν c. 7. v. 30. c. 11. v. 46. qualis Scriba fuit Esdras de quo lib. 1. Esdr. c. 7. v. 6. 10. 11. & 12. dicitur, quod fuerit *Scriba velox sive promptus & exercitatus in lege Moysi, Scriba eruditus in sermonibus & præceptis Domini, & Cereemoniis ejus in Israel, Scriba legis Dei doctissimus, qui paraverit cor suum, ut investigaret legem Domini & faceret & doceret in Israel præceptum & iudicium.* Ante Babylonicam captiv. Sacerdotes fungebantur munere docendi, Scripturas interpretandi, ex lege respondendi Lev. 10, 11. Ezech. 44, 23. Malach. 2, 7. sed post captivitatem Babylonicam cum Sacerdotes politica gubernatione occupati docendi officium negligerent, pars illa Ministerii Ecclesiastici Scribis fuit imposita, sicut hodie Professores Theolog. funguntur illo munere Scripturam prælegendi & interpretandi, quod olim Canonicis fuit impositum. Videntur igitur quibusd. iidem fuisse νομικοὶ, νομοδιδασκαλοὶ *legales, legis interpretes & doctores ac γραμματέων Scribæ.* Quos enim Matthæus c. 9, 3. vocat *Scribas*, hos Luc. c. 5, 17. vocat νομοδιδασκαλῶν *legis doctores* ac v. 30. notatè addit γραμματέων αὐτῶν, ex quo intelligitur, quod qualibet civitas tuos habuerit Scribas ac legis doctores. Sicut etiam Matth. 2, 4. dicuntur γραμματέων & λαὸν *Scribæ*, h. e. doctores populi. Sed ex Luc. 11, 45. apparet aliquod discrimen fuisse inter νομικῶν & γραμματέων. Cum enim Christus Phariseos & Scribas acriter reprehenderet, accedunt νομικοὶ, legisperiti & dicunt: *Hæc dicens etiam nobis contumeliam facis.* Omnes igitur νομικοὶ fuere γραμματέων ac νομοδιδασκαλοὶ & legis doctores, nō autem vice versâ, omnes γραμματέων ac νομοδιδασκαλοὶ fuere νομικοὶ, sed illi tantum dicti fuere νομικοὶ, qui locum habuerunt in Synedrio Ecclesiastico magno, quod ex 72. iudicibus constabat, penes quos fuit jurisdictio Ecclesiastica, qui membra fuerunt augusti illius collegii, quod Deut. 17. v. 8. consti-

constituitur, ad quod dubii & graviores casus deferbantur, unde Genes. 49. vers. 10. videntur dici מְשִׁיבֵי לֵבָיִם *legislatores*, reliqui verò, qui non erant Assesores Synedrui, vocabuntur simpliciter νομοδιδασκαλοὶ & γραμματεῖς, sicut adhuc hodie quidam possunt esse Theologiæ Doctores & Scripturæ Interpretes, qui tamen non præfunt in Consistoriis, nec jurisdictionem quandam obtinent. Syrus νομικὸν vocat נֹמֵיךְ ex Græcâ voce νόμος, Scribas verò vocat סֹפְרֵי. Nulla igitur contrarietas est in eo, quod Matthæus hunc quæstionarium vocat νομικὸν, Marcus γραμματεῖα. Nec in eo aliquid contrarietatis statui potest, quod Matthæus eum vocat *Pharisæum*, Marcus Scribam. Quamvis enim in plurimis Scripturæ locis Scribæ à Pharisæis distinguantur Matth. 5. v. 20. cap. 12. v. 38. cap. 15. v. 1. cap. 23. v. 2. Marc. 2. v. 6. Luc. 5. v. 30. cap. 11. v. 45. cap. 15. v. 2. Johan. 8. v. 3. &c. una tamen eademque persona potuit simul esse Scribæ & Pharisæus, quia Scribæ fuit nomen officii, Pharisæus autem sectæ, ut evidenter colligitur ex Act. 23. v. 6. & 9. cap. 26. v. 5. De officio Scribarum jam antè diximus. Pharisæi ex eo sic dicti sunt, quod præter legem peculiari quadam juxta traditiones vivendi ratione à reliquis fuerint separati, cui sectæ non omnes sed aliqui duntaxat Scribæ fuere addicti, aliqui verò Sadducæorum sectæ adhaerunt, sicut Act. 5. v. 17. & cap. 24. v. 6. notanter dicitur, quod in Collegio Pontificum, Scribarum & Seniorum quidam fuerint Sadducæi, quidam Pharisæi. Sin verò ab expositione & interpretatione legis Pharisæi nomen habuerunt, tale inter Scribam & Pharisæum instituendum erit discrimen, quod illi textum legis populo prælegebant & interpretabantur, Pharisæi verò circa traditiones occupati erant, quorum secta longo tempore post institutum collegium Scribarum originem cepit, cum præter Scripturam traditiones in admiratione esse inciperent, ut monet D. Chemnicus in cap. 10. Harmon. Quidam volunt γραμματεῖς in genere dictos omnes literatos & eruditione insignes, sicut illiterati dicuntur ἀγράμματοι Act. 4. v. 13. ut hac ratione per nomen Scribæ non tam officium quam gradus sapientiæ notetur. *Sapientes sunt* (inquit Elias de Scribis) *qui & ipsi dicuntur Rabbanim à multitudine scientiæ.* Juxta hac hypothesin itidem unus idemque homo potuit esse Scribæ ratione eruditionis, & Pharisæus ratione professionis sive sectæ. Pharisæus non potest esse Sadducæus, quia sunt sectæ contrariæ, sed Pharisæus potuit esse Scribæ & vice versâ, quia quidam Scribæ fuere Pharisæorum, quidam Sadducæorum, fortè etiam quidam Essenorum sectæ addicti. Ad 4. difficultatem, quæ est potissima, respondet Augustinus lib. 2. de conf. Evang. cap. 73. *Neminem moveat, quod Matthæus dicit, tentantem fuisse illum, à quo Dominus interrogatus est; Lucas autem hoc tacet. Et in fine Marcus ita concludit, quod ei Dominus sapienter respondenti dixerit, non longè es à regno Dei. Fieri enim potuit, ut quamvis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit. Aut certe ipsam tentationem non accipimus malam, tanquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius, tanquam experiri amplius volentis ignotum, neque enim frustra scriptum est, qui facile credit, levis corde est & minorabitur.* Priore responsione etiam uti-

tur Chrysostomus homil. 72. in Matth. *Tentando, inquit, incepit Scribæ, sed cum à responsione Christi nihil utilitatis perceperit, jure laudatur. Non enim incipiens statim laudes audiuit, sed quando dixit, majus esse diligere proximum, quam holocausta offerre.* Chrysostomum ut in aliis, ita quoque hac in parte sequuntur Euthymius & Theophylactus in cap. 22. Matth. Simile quid de ministris Pontificum refertur Joh. 7. 46. quod primum venerint ad Christum apprehendendum, sed auditâ ipsius prædicatione animum mutarint, ac re infectâ ad dominos suos redierint. Sed non videtur hoc convenire verbis Marci, qui ostendit ipsum in primo statim accessu fuisse bene erga Christum affectum. *Videns quoniam Christus bene responderet Sadducæis, interrogavit eum.* Posteriorem responsionem videl. quod verbum tentandi in bonam partem apud Matthæum accipi debeat, Tostatus sic declarat: *Tentare significat 1. Experimentum accipere velle de re incognita, 2. Conari aliquem deducere ad inconveniens. Illa est tentatio humana, hæc verò semper est Diabolica, sed statuere quod verbum tentandi in priore significatione hic usurpetur, non satis convenit ingenio Pharisæorum, in quorum præsentia hic Scribæ quæstionem proposuit. Ubicumque enim in Evangelica Historia illi dicuntur Christum tentasse, semper intelligitur tentatio malo animo suscepta. Quidam igitur respondent, hunc Scribam non fuisse erga Christum animo in seculo & inimico, sed propterea dici Christum tentasse, quia à cæteris impulsus est, ut tentando percontaretur de maximo in lege mandato. Quia ergo à Pharisæis incitatus & impulsus Christum tentavit, ideo hæc tentatio potius cæterorum Pharisæorum fuit, quam hujus Scribæ, quamvis ipse minister tentationis fuerit, & ὑπερασπινοῖ illud medium proposuerit, ut Christus ab astantibus Pharisæis in sermone caperetur. Constat ex Marco, ipsum bene erga Christum affectum fuisse ob eruditum responsum Sadducæis datum, ac bono animo quæstionem de maximo mandato Christo proposuisse, videl. ut majoris scientiæ Scripturarum experimentum in Christo caperet, & solidam decisionem quæstionis, quæ angebatur, reportaret, sed hunc animum suum non aperuit Collegis suis Pharisæis, ac passus est ab illis sibi imponi hanc provinciam aggrediendi JESUM, eidemque proponendi quæstionem illam arduam ex intimis legis generalibus depromptam, videl. de maximo mandato. Pharisæi, qui prius convenerant deliberaturi de mediis opprimendi Christum, & præsentibus aderant, cum hæc quæstio Christo proponeretur, hunc finem & scopum sibi habebant præfixum, ut incitatis Scripturarum Christum convincere, & existimationi sapientiæ per eruditissimum responsum Sadducæis datum apud populum acquisitæ notam dedecoris inurere, adeoq; Christum confundere posset; Scribæ verò, per quem Christo ignominiam conflare cupiebant & cujus ministerio in proponenda quæstione utebantur, nihil aliud quærebat, quam audire sententiam Christi de quæstione ardua & maximè controversa, cum singularem ejus in lege divina peritiam ex colloquio cum Sadducæis instituto non sine admiratione & approbatione deprehendisset. Quod ergo Christum tentasse dicitur, sic accipiendum est, quod Pharisæi, qui per ipsum hanc quæstionem proponebant, per*

eam

eam Christum tentaverint: 5. Inter mandatum maximum & primum nulla est hoc loco differentia, quia per primum intelligitur primarium ac precipuum mandatum, quod dignitate primum est. Apparet etiam ex Christi responso, in quo recitationi mandati de diligendo Deo & proximo subicitur, hoc est primum & maximum mandatum, Scribam in sua quaestione utrumque conjunxisse. 6. Ex eo, quod unus Evangelista plura commemorat, quam reliqui, non potest evincere contrarietas, cum inclusio unius non statim sit exclusio alterius. Procul dubio Christus mandatum de dilectione Dei recitavit unà cum proœmio illo Moisaico: *Audi Israel, & cum præcepto de uno vero Deo agnoscendo, quia per illud Moses attentionem sibi parare & dignitatem hujus præcepti de Deo super omnia diligendo insinurare; per hoc verò demonstrare voluit, tum quis sit legislator*

ille, qui dilectionem sui ex toto corde requirat, videlicet unus solus verus Deus, à quo omnis auctoritas hujus legis unice dependet; tum quod dilectio Dei præsupponat veram veri Dei agnitionem: fieri enim nequit, ut vere quis Deum diligat, nisi verum Deum prius cognoscat. 7. Quod apud Marcum additur, Deum diligendum esse ex tota virtute, desumptum est ex Mose Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum* יהוה—כלל *in toto valde tuo*, hoc est, in tota vehementia seu fortitudine tua. An autem idem, an diversum quid per illud denotetur, quàm per sua superiora *ex toto corde tuo, ex tota anima & ex tota mente tua*, in exegesi dispicietur. 8. Matthæus approbationem illam Scribæ non quidem commemorat, interim tamen non negat, ideò eam à Matthæo prætermittam Marcus responsioni Christi subjungere voluit.

RESPONSUM CHRISTI AD QUESTIONEM DE MAXIMO LEGIS MANDATO.

MATTH. 22.

34. Οἱ Ἰουδαῖοι ἀκούσαντες, ὅτι ἐφίμωσεν τὰς Σαδδουκαίους, συνήχθησαν ἐπὶ τῷ αὐτοῦ.
35. Καὶ ἐπηρώτησεν εἰς ἐξ αὐτῶν νομικὸς περὶ τῶν αὐτῶν καὶ λέγων.
36. Διδάσκαλε, ποία ἐνβόλη μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ;
37. Ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ. Ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν, ὡς ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, ὡς ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ, ὡς ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου.
38. Ἄυτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή.
39. Δευτέρα ἡ ὁμοία αὐτῇ. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον ὡς σεαυτὸν.
40. Ἐν ταύταις ταῖς δύο ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται.

34. Pharisei eum cum audissent, quod obturasset os Sadducæi, convenerunt in unum.
35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum & dicens.
36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?
37. At autem illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.
38. Hoc est primum & magnum mandatum.
39. Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut teipsum.
40. In his duobus mandatis universa lex & Prophetæ pendent.

MARC. 12.

28. Καὶ προσελθὼν εἰς τὸν γραμματεῖον ἀκούσας αὐτῶν συζητῶντων, εἶδώς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη, ἐπηρώτησεν αὐτὸν ποία ἐστὶ πρώτη πάντων ἐντολῶν;
29. Οἱ Ἰησοῦς ἀπεκρίθη αὐτῷ, ὅτι πρώτη πάντων ἐντολῶν, Ἄκουε Ἰσραὴλ, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστίν.
30. Καὶ ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, αὐτὴ πρώτη ἐντολή.
31. Καὶ δευτέρα ὁμοία αὐτῇ. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτὸν, μείζων τῶν ἄλλων ἐντολῶν ἡ ἐστίν.
32. Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ γραμματεὺς, καλῶς διδάσκαλε ἐπὶ ἀληθείας εἶπας, ὅτι εἷς ἐστὶ θεὸς καὶ ἕκ ἐστὶν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ.
33. Καὶ τὸ ἀγαπᾶν αὐτὸν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, καὶ ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος, καὶ τὸ ἀγαπᾶν τὸν πλησίον, ὡς σεαυτὸν, πλεονεξίαν ἐστὶ πάντων τῶν ὀλοκαυτωμάτων καὶ θυσιῶν.
34. Καὶ ὁ Ἰησοῦς ἰδὼν αὐτὸν, ὅτι συνεχῶς ἀπεκρίθη, εἶπεν αὐτῷ, Ἐ μακρὰν εἶ δὸς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. Καὶ ἔδεις ἐκτεῖ ἐντολῶν, αὐτὸν ἐπερωτήσασαι.
Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

28. Et cum accessisset quidam ex Scribis, & audisset eos simul disputantes, videretque quod bene eis respondisset, interrogavit illum: Quod est primum omnium præceptorum?
29. Jesus autem respondit illi: Primum omnium præceptum est; Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est.
30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. Hoc est primum præceptum.
31. Et secundum simile hoc: diliges proximum tuum sicut teipsum. Major his aliud præceptum non est.
32. Et dixit illi Scriba: Bene Præceptor cum veritate dixisti, quod unus sit Deus & non sit alius præter illum.
33. Quodq; diligere eum ex toto corde & ex tota intelligentia & ex tota anima & ex totis viribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus sit quàm universa holocausta & victimæ.
34. At Jesus cum videret, quod cordate respondisset, dixit illi: Haud longè abes à regno Dei. Et nemo post illa audebat eum interrogare.

51

DE

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIÆ.

Matthæus quæstionem Scribæ sic informat: *Quod est mandatum magnum in lege? Marcus hoc modo: Quod est primum omnium præceptorum?* Ex eo quidam colligunt, duo fuisse Scribæ hujus quæsitæ, videlicet primò quodnam sit mandatum magnum in lege, secundò quodnam sit primum omnium præceptorum, unde in Harmonia verba Matthæi a verbis Marci distinguunt. Sed quia positivus ex idiotismo Hebræo hic ponitur pro superlativo atque ex Christi responso intelligitur, quod idem sit maximum & primum mandatum, dicit enim: *hoc est primum & magnum mandatum* Matth. 22. v. 38. Item: *magis his aliud præceptum non est* Marc. 12. v. 31. idè verba Matthæi & Marci rectius in unam quæstionis simplicis formam rediguntur. Præceptum de dilectione Dei Matthæus sic recitat, quod diligendus sit Deus *ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ, ἐν ὅλη τῇ ψυχῇ &c.* Marcus verò *ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς*, quo posteriore modo etiam LXX. Interpp. textum Mosaiicum Deut. 6. v. 5. reddiderunt: inde quidam in Harmonia præceptum de dilectione Dei bis repetunt, sicque discrimen quoddam statuunt inter dilectionem Dei *in toto corde & ex toto corde*, sed quia utraque præpositio *ἐξ & ἐν* respondet Hebræo ב idè unum idemq; hac phrasi significari rectius statuitur. Verba Marci, *magis*

his aliud præceptum non est, quidam postponunt verbis illis Matthæi, in his duobus mandatis *universa lex & Prophetæ* pendent. Sed concinnius est illa præponere. Postquam enim Christus maximum legis mandatum de Deo ex toto corde diligendo recitaverat, eidemq; simile de diligendo proximo adjunxerat, subjicit *magis his aliud præceptum non posse dari*, id quod *ἀπιολογικῶς* confirmat ex eo, qui in his duobus mandatis *universa lex & Prophetæ* pendent. Verba illa Marci, *& nemo posthac audebat eum interrogare*, quidam rejiciunt ad finem subsequenti pericopes, cui etiam à Matthæo subjunguntur cap. 22. v. 46. sed cum à Marco quæstioni de Messia à Christo Phariseis propositæ præmittantur, nolimus ex h. l. prætermittere, nil enim impedit, ea in Harmonia binis vel etiam tribus vicibus repeti. Lucas ea subjicit responsoni ad quæstionem Sadduceorum datæ, Marcus responsoni ad quæstionem de maximo legis mandato datæ, Matthæus quæstioni de Messia, omnes unum eundemq; sibi scopum habent propositum, docendi scilicet, quod Christus accuratis & exquisitis suis responsonis Sadduceis, Phariseis, Scribis & omnibus suis adversariis obturaverit, ut non fuerint amplius ausi captiosius suis quæstionibus ipsum denuò adoriri.

*Harmonia colloquii de maximo legis mandato inter Christum
& Scribam instituti.*

Ὁ ἵ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες, ὅτι ἐφίμωσε τὸς Σαδδουκαῖος, συνέχθησαν ἐπὶ τῷ αὐτῷ. Καὶ προσελθὼν εἰς ἐξ αὐτῶν νομικὸς εἰς τὸ γραμματεῶν ἀκούσας αὐτῶν συνέχθησαν, εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτῷ ἀπεκρίθη, ἐτηρώτησε περὶ αὐτῶν καὶ λέγων. Διδάσκαλε, ποία ἐν ὅλη μεγίστη πρώτη πασῶν ἐν τῷ νόμῳ, ὃ Ἰησοῦς ἀπεκρίθη (καὶ) εἶπεν αὐτῷ, ὅτι πρώτη πασῶν ἐν ὅλῳ. Ἄκουε Ἰσραὴλ κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστίν. Καὶ ἀραπήσῃς κύριον τὸ θεὸν σε ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ (ἐξ ὅλης τῆς καρδίας) σε, καὶ ἐν ὅλη τῇ ψυχῇ (ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς) σε, καὶ ἐν ὅλη τῇ διανοίᾳ (ἐξ ὅλης τῆς διανοίας) σε, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σε. αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγίστη ἐν ὅλῳ (καὶ) δευτέρα ἡμοῖα αὐτῇ, αὕτη. Ἀραπήσῃς τὸ πλησίον σε ὡς σεαυτὸν, μετῶν τετῶν ἄλλῃ ἐν τῇ ἐκ ἐστίν. Ἐν ταύταις ταῖς δύο ἐντολαῖς ὅλῳ ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρηματωται. Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ γραμματεὺς, καλῶς διδάσκαλε ἐπ' ἀληθείᾳ εἶπας, ὅτι εἷς ἐστὶ θεὸς καὶ ἐκ ἐστὶν ἄλλῳ πληρὸν αὐτῶν. Καὶ τὸ ἀραπῶν αὐτὸν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, καὶ ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος, καὶ τὸ ἀραπῶν τὸν πλησίον, ὡς ἑαυτὸν, πλεον ἐστὶ πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν. Καὶ ὁ Ἰησοῦς ἰδὼν αὐτὸν, ὅτι βενεχῶς ἀπεκρίθη, εἶπεν αὐτῷ, εἰ μακρὰν εἶ δὸς τῆ βασιλείας τοῦ θεοῦ. Καὶ ἀδὲς ἐκείνη ἐτόλμα αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

Pharisei autem cum audissent, quod obturasset os Sadduceis, convenerunt in unum. Et cum accessisset unus ex eis legis doctor, quidam Scribis, qui audierat eos simul disputantes, ac viderat, quod bene eis respondisset, interrogavit tentans eum & dicens: Magister, quod est magnum præceptum primum omnium in lege? Jesus autem respondit (&) ait illi: Primum omnium præceptum est, audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum in toto corde (ex toto corde) tuo, & in tota anima (ex tota anima) tua & in tota mente (ex tota mente) tua, & ex totis viribus tuis. Hoc est primum & magnum mandatum. (Et) secundum autem simile huic, hoc: diliges proximum tuum sicut teipsum. Magis his aliud præceptum non est. In his duobus mandatis *universa lex & Prophetæ* pendent. Et dixit illi Scriba: Bene Præceptor cum veritate dixisti, quod unus sit Deus & non sit alius præter illum, quodque diligere eum ex toto corde & ex tota intelligentia & ex tota anima & ex totis viribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus sit quàm *universa holocausta & victima*. At Jesus cum videret, quod cordatè respondisset, dixit illi: Haud longè abes à regno Dei. Et nemo post illa audebat eum interrogare.

Exegesis hujus Historiæ.

Quemadmodum omnia, quæ in solenni promulgatione legis & circa tabulas Testamenti, quibus verba legis Dei digito inscripta fue-

runt, de divina sapientia, cujus ἀπρόκλισμα in lege proponitur, evidens ferunt testimonium: ita quoque nemini debet esse dubium, singulari & sapientis-

entissimo Dei consilio factum fuisse, quod decem verba legis duabus distinctis tabulis fuerint inscripta Exod. 32. v. 15. cap. 34. v. 1. 4. & 29. Deut. 10. v. 3. Beda in cap. 20. Exodi hunc binarium tabularum Decalogi numerum applicat ad duo Testamenta. *In duabus, inquit, tabulis scripta est lex propter duo testamenta. Lex enim non solum ad vetus, sed etiam ad novum pertinet Testamentum, cum in promissione novi fœderis Jerem. 31. v. 33. dixerit hoc addatur, Scribam legem meam in cordibus ipsorum.* Lyranus hunc numerum sic explicat, quod per eum denotetur intellectus & affectus hominis, in quibus lex nova scribitur per fidem & charitatem opere Spiritus sancti. Possit etiam haut absurdè statui, quod duabus illis tabulis significetur, non corporis tantum sed etiam animæ, non exteriorem solum sed etiam interiorem obœdientiam in lege ab hominibus requiri 2. Cor. 7. v. 1. Sed Christus interrogatus de maximo legis mandato omnium optimè nobis explicat, quo consilio Deus verba legis suæ sive decem præcepta duabus distinctis tabulis inscribere voluerit, videl. ut ostenderet, omnia legis verba ad dilectionem Dei & proximi esse referenda, cum præcepta primæ tabulæ agant de dilectione Dei, præcepta secundæ tabulæ de dilectione proximi, inde est, quod Christus vocat *primum & secundum præceptum*, quod Moses vocat *primam & secundam tabulam*. Quam divini consilii longè sapientissimi rationem Beda d. l. rectè addit. *Mandata Dei, inquit, quidam sic distinguunt, ut tria pertineant ad dilectionem Trinitatis, septem verò ad amorem fratrum. Primum mandatum pertinet ad Deum Patrem, dum dicit: Ego sum Deus tuus, non habebis Deos alienos &c. utique ut hæc audiens fornicatione tua in multos Deos non offendas. Secundum pertinet ad Filium, ubi dicit: Non assumes nomen Domini tui in vanum, hoc est, ne existimes creaturam esse Filium Dei, quoniam omnis visibilia creatura vanitati est subjecta. Tertium mandatum de Sabbato ad Spiritum S. pertinet, cujus dono requies nobis sempiterna promittitur, per donum autem Spiritus sanctificamur &c. Post tria præcepta septenarium succedit numerus pertinens ad amorem proximi & incipit ab amore parentum, à quibus in hac vita sumimus exordium &c. Fortasse igitur idè non una, sed duæ tabulæ dictæ sunt, quia decem mandata hæc ad dilectionem Dei pertinent & proximi. Est autem hujus distinctionis, quæ omnia Decalogi præcepta in duas tabulas eâ ratione distribuuntur, ut præcepta, quæ de dilectione Dei agunt; ad primam; præcepta de proximi dilectione ad secundam tabulam referantur, usus longè maximus. Christus enim secundum præceptum de dilectione proximi non dicit esse maximum & primum, nec æquale maximo & primo de dilectione Dei mandatum, sed duntaxat ὁμοιον, quia primum mandatum majus est secundo, obœdientia primæ tabulæ præferenda est obœdientia erga secundam, quando utriq; simul non potest obsequium exhiberi Luc. 14. v. 26. Act. 5. v. 29. obœdientia secundæ tabulæ non habet locum sine obœdientia primæ tabulæ; h. est, non placet Deo qualiscumq; obœdientia externa præceptis secundæ tabulæ exhibitæ sine interiori cultu, sine vera agnitione, timore ac dilectione Dei, quæ in prima tabula requiruntur. Hæc omnia in distributione illa Decalogi no-*

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contm. pars prim.

bis proponuntur, quando Deus ipse in duas tabulas verba legis distinguit, ac Christus mandatum de dilectione Dei hoc loco vocat *primum* mandatum, de dilectione proximi *secundum*, *primo* quidem *simile*, non tamen omnino æquale. Possunt autem hujus pericopes duæ statui partes. Prior continet ἡ πρώτη ἡ ἴση ἡ ἴση ἡ ἴση colloquium de maximo legis mandato. Posterior ἡ ἐξ ἑσθλοῦ colloquium illius eventum. In ipso colloquio occurrit tum Scribæ quæstio, tum Christi responsio.

Quæstionem Scribæ eâ ratione Evangelistæ enarrant, ut primò recenseant *causam principalem* hujus quæstionis Christo proposita, quæ fuerunt Pharisei. Illi enim postquam audivissent, Christum in disputatione de resurrectione mortuorum os obturasse Sadducæis, convenerunt in unum, & unus ex eis interrogavit Christum tentans &c. Dixerat Matthæus, turbas audito sapientissimo Christi responso Sadducæis dato *miratas & stupefactas fuisse super doctrina Christi*, sed statim subjicit ad veritatem. *Pharisei autem cum hoc audivissent, ex aliorum scilicet, qui colloquio illi cum Sadducæis interfuerant, relatione, convenerunt.* Hac oppositione turbæ & Phariseorum significat, Phariseos non fuisse hoc responsum Christi admiratos, nec benevolè erga Christum affectos, sed potiùs ex invidia denuò contra Christum infurrexisse. Cum rubore coacti fuerant à Christo discedere, quando ad quæstionem de Baptismo Joannis, num è celo fuerit an ex hominibus, nil respondere poterant Matth. 21. v. 27. Item quæ quando prudentissimo Christi responso de dandis Deo, quæ sunt Dei, & Casari quæ sunt Casaris, confusi, nil habebant, quod regerent c. 22. v. 22. nihilo tamen minus invidiâ exagitati denuò certamen redintegrant Hieron in c. 22. Matth. *Quia supra in ostensione denarii fuerant confutati & adversa partis viderant factionem subrutam, debuerunt exemplo moneri, ne ultra molirentur insidias, sed malevolentia & livor nutrit impudentiam.* Quod dicuntur *convenisse* ἦν τὸ αὐτὸ in idem, in unum propter id ipsum, vel ut Syrus reddidit פרוטו pariter sive simul, hoc est, eodem loco, duplicem eorum congregationem notat. Primò quod convenerint in loco Concilii, *Κονάριον* enim de solenni indictione Concilii sæpius usurpat Matth. 2. v. 4. c. 26. v. 3. & 57. cap. 28. v. 12. &c. deliberaturi scil. quâ ratione ignominiam sibi & Sadducæis à Christo irrogatam vindicarent, & adhibitis multorum consiliis discepturi, quomodo Scripturarum ignorantiam Sadducæis objectam in Christum retorquere, & gloriam sapientiæ, quam ex disputatione cum Sadducæis retulerat, in animis populi opprimere vel certè obscurare possent. Conjungunt operas & vires, consultant invicem de ardua & captiosa quadam quæstione à se Christo proponenda, ut si ad eam respondere non posset, vel non satis idoneè responderet, autoritas ejus apud populum minueretur, ipsique majorem laudem consequerentur, quod quem Sadducæi debellare non poterant, ipsi superassent & illaqueassent. Deinde quod ad Christum agmine quasi factò convenerint, ipsumq; in templo docentem denuò aggressi fuerint, quia vox *Κονάριον* de confusa promiscui populi congregatione etiam usurpatur Matt. 13. v. 2 c. 27.

Sl 2

v. 27.

v.27. Prius discipulos suos miserant, qui quæstionem de censu Christo proponerent, hic vero ipsimet ad Christum redeunt & quidem magno numero 1. Ut suffragiorum ac votorum multitudine vincerent, quem ratione non poterant vincere, sicut ex Autore imperf. operis loquitur gloss. ordin. h. l. 2. Ut terrorem aliquem Christo inculcerent, eumque perturbarent, quo animo minis præsentem utens minus sapienter responderet, præcipitania enim est sapientis responsi noverca. 3. Ut Scribæ quæstionem proposituro succenturiati adessent, ipsiq; laboranti suppetias ferrent. 4. Ut Christum, quem minus aptè responsurum putabant, magis irriderent. Proponitur igitur in Phariseorum exemplo speculum morum, qui adversariis veritatis cœlestis sunt perquam familiares, quales sunt. *Pertinax malitia & impudentia.* Jam ante aliquoties ex acie, in quam cum Christo descenderant, victi abierant, mox tamen certamen redintegrant, atque eo ipso manifestum faciunt, se non veritatem querere, sed propriam gloriam. *Nunquid fortiores (ait Aut. imperf. oper. hom. 42.) quam ceteri, qui victis omnibus vincere speraverunt? sed impudentiores, quam omnes, qui confusis omnibus ante se similiter erubescere non timuerunt.* Eodem modo adhuc hodie fieri videmus, ut veritatis hostes non conquiescant, sed etiam si aliquoties infelici congressu sese victos videant, audacius tamen contra fideles confessores insurgant. 2. *Invidia.* Debuissent Pharisei Christo gratulari ac sibimetipsis gaudere, quod Sadducæorum error, contra quem ipsi quoque acriter pugnabant, tam efficaciter fuisset convictus, sed invidia concitati & odio inflammati denuò Christum adoriuntur. Non admodum curabant, quod Christus sapientissimè ex Scripturis sacris Sadducæos confutasset, & resurrectionem mortuorum immoto argumento confirmasset, sed illud urebat ipsorum animos, quod Christus Sadducæos, quos ipsimet vincere nò poterant, debellasset, hanc gloriam ipsi inviderunt. 3. *Superbia.* Videbant Sadducæos victos, nihilo tamen minus victoriam sese reportaturos sperabant. Tribuendam hoc ipsorum fastui & propriæ ostentationis cupiditati, quæ ita eos excœcaverat, ut non viderent spem suam esse vanam & frustraneam. Judicabant Sadducæos indoctos & Scripturæ imperitos, se verò in lege exercitatos, se igitur præstare posse, quod Sadducæis prælitu fuerit impossibile. Simon de Cassia lib. 21. cap. 53. *Superborum consuetudo est, ut cum uno arguantur, ad aliud se transferant, ne victi videantur.* 4. *Astutia:* tum in consultando: Non temerè & præcipitanter, sed certo consilio & deliberato animo certamen suscipiunt, arma convenientia prius eligunt, antequam in arenam descendant, tum in conjungendo se cum Sadducæis. Cum ex disceptatione de censu Cæsari dando victi abiissent, Sadducæi ipsis succenturiati successerant, dubio procul ex ipsorum instinctu; postquam Sadducæi itidem victi ex acie cesserant, en iterum succenturiantur ipsis Pharisei, ac resumptis q. viribus inclinanti fortunæ succurrunt. Sic ergò Pharisei erant quidem Sadducæis contrarii in opinione de mortuorum resurrectione, tamen cum ipsis conveniebant in Christi persecutione; contrarii erant in doctrina, conspirabant in malitia. Tale ingenium in hostibus veritatis

cœlestis adhuc hodie deprehenditur, sed ut Christus hoc loco omnium adversariorum consilia elidit & vires ipsorum frangit: sic ad dextram Patris sui exaltatus consilia hostium Ecclesiæ dissipat. Esa. 8. v. 10.

2. *Causam προκαταρκτικὴν impulsivam externam,* sive occasionem. *Cum Pharisei audissent, quod Christus os obturasset Sadducæis, convenerunt.* Græcum ἐφίμωσε valde est emphaticum. Φίμωσι proprie est vinculi genus, quo ferarum, canumq; ora obligantur, ne mordeant, boum, ne segetes atterant & frugus devorent, quod Græci aliàs vocant ἀπέφίμωσι vel ἀπέφίμωσι, Latini *canum & capistrum*, quod posterius differt quidem à camo, interim tamen arctè constrictum camo vicem præstat. Deut. 25. v. 4. Esa. 37. v. 29. Ezech. 39. v. 11. Sirac. 20. v. 29. 1. Cor. 9. v. 9, 1. Tim. 5. v. 18. Eustath. in odyss. ult. exponit: *Κόμμα τι λίνεον προδεδελημμένον τῆ χειλέων κητύς ρινός, ἵνα μὴ τὴ Φορτικὸν εἰσπνεύσῃται.* Helychio Φίμωσι est δεσμύειν, ἐμφότιζεν, ἐπισφίμωσεν, *os occludere, camo colligare,* vel ut Plinius loquitur lib. 18. cap. 19. *siscellis capistrare.* Luc. 4. v. 39. Marc. 4. v. 39. κατὰ χειρὸς αὐτοῦ usurpatur de mari, cui per interminationem Christi os fuit præclusum & camo quasi constrictum, ne insolita tempestate amplius sæviret. Matth. 22. v. 12. de eo, qui non habens vestem nuptialem ad interrogationem Domini obmutuit Marc. 2. v. 25. Luc. 4. v. 35. de Diabolo à Christo obmutescere iussit, 1. Pet. 2. v. 15. de insipientibus hominibus, Christianis ex ignorantia detrahentibus, quibus per bona piorum opera os obturatur, ne occasio calumniandi ipsis amplius suppetat. LXX. nomen Φίμωσι Esa. 37. v. 29. usurpant pro *ἄσπετος* quod significat *spinam* vel naturalem vel artificialem ex ferro factam, qua aliquid perforatur. Φίμωσι Dent. 25. v. 4. usurpant pro *ὄστρακον* *occlusis, obstruxit, obturavit, coarctavit os,* ex quo formatur *ὄστρακον* *claustrum, capistrum.* Esa. 39. v. 2. *imponam ori meo claustrum.* Ex hisce genuina significatio verbi Φίμωσι colligi potest. Sensus enim est, quod Christus perspicua objecti argumenti solutione & dogmatis de resurrectione mortuorum ex Mose petita confirmatione tam solidè & efficaciter confutaverit Sadducæos, ut velut capistro quodam iniecto os eis obturaverit, ipsos tacere coegerit, & quasi elingues reddiderit, cum nil quicquam haberent, quod regerere possent, quod ad silentium eos adegerit, ut cum dedecore ex arena discedere fuerint coacti. Syrus habet verbum *ἄσπετος* in Piel *silentium imposuit, obmutescere fecit.* Cum hac causa impulsiva, quæ Phariseos movit, ut Christo sese denuò opposerent, convenit ea, quæ Scribam impulit, ut Phariseorum collegarum suorum nomine Christo quæstionem de maximo mandato proponeret. Is enim audierat Christum & Sadducæos *ὀυκ ἠθέλησας*, ac viderat, quod κατὰ ἴσιν ipsis respondisset. Hoc enim sapientissimum Christi responsum Sadducæis datum erat quasi capistrum, quo Christus ipsorum ora obturaverat. *ὀυκ ἠθέλησας* quandoque in malam partem accipitur, ut significet *odiose altercari, vanis & Sophisticis argumentis aliquem adoriri* Marc. 8. vers. 11. cap. 9. v. 14. Actor. 6. v. 9. 1. Cor. 1. vers. 20. quæ significatio hic locum habet, si relativum *αὐτῶν* ad solos Sadducæos referatur, sed si de *mutua Christi & Sad-*

& Sadducæorum disputatione accipiat, retinet propriam suam significationem, qua usurpatur pro disquisitione à duobus vel pluribus de aliqua re suscepta, pro collatione sententiarum & mutua colloquutione Marc. 1. v. 27. Marc. 9. v. 16. Act. 9. v. 29. Syrus habet verbum *שׂרר* *communis sermone disquisivit ac disputavit, eisdem sciens vel cum scripsisset, nimirum quia disputationi Sadducæorum & Christi interfuerat. Syrus & Latin. verterunt videns, sive animadvertens, legerunt igitur idem quo modo etiam duo Codices Græci legunt. Sed res eodem redit. Quod respondisset *καθώς, appositè, sapienter, clarè & perspicuè.* Christus enim dubio Sadducæorum fundamentaliter satisfecerat & controuersum dogma de resurrectione mortuorum solide & efficaciter demonstraverat, & quidem ex ejusmodi Scriptura dicto, in quo articulum hunc contineri nemo prius animadverterat, quo ipso clarissimè demonstraverat, Scripturam sacram penitissimè à se intelligi, & arcana ejusdem mysteria se probè cognita habere, hoc verò promovebat Scribam, ut quæstionem ex intimis legis penetrabilibus depromptam Christo proponeret. Hoc sapientissimum Christi responsum & victoria à Sadducæis reportata debuisset Christo laudem apud Phariseos conciliare, sed patiuntur easè permoveri, ut de nudo contra Christum insurgant. Quamvis enim Sadducæorum hæresin detestarentur, tamen 1. ægrè ferebant, à Christo eam debellari. Omnia ipsorum consilia & opera, cogitationes & conatus eò directi erant, ut viderentur ab hominibus Matt. 23. v. 5. suam igitur potius, quam Dei gloriam & veritatis confirmationem quærebant, quando contra Sadducæos disputabant. Dolebant ergò hanc laudem à Christo sibi præceptam, quam ex Sadducæorum debellatione quærebant. 2. Metuebant, ne silentium Sadducæis impositum suæ quoque existimationi aliquid detraheret, quasi nec ipsi amplius haberent, quòd interrogare & Christo opponere possent, qui tamen Scripturarum haberi voluerunt peritissimi. 3. Christus non tantum Sadducæis, sed etiam paulò prius Phariseorum discipulis ac Legatis os obturaverat, hanc ignominiam, quæ ex Legatorum suorum & Sadducæorum convictione in ipsos Phariseos redundare videbatur, voluerunt à se removere. Reipsà igitur hoc dicunt. Si vel maxime discipulos nostros adhuc juniores & Sadducæos in Scripturis minùs exercitatos ad silentium adegit, nondum tamen se victorem existimet: præsto est, qui ipsum vicissim possit convincere. Ex quo apparet, vinci quidem posse pertinaces veritatis adversarios, non tamen permoveri, ut conquiescant. Victi erant à Christo Pharisei non solum in suis discipulis quæstionem de censu proponentibus, sed etiam in semetipsis, quando ad quæstionem de baptismo Joannis ex Tacito respondent, sed non possunt, hoc est, nolunt conquiescere, instructa & redintegrata quasi acie denuò cum Christo pedem conferunt. Victi erant à Christo Sadducæi, non tamen conquiescunt, quia Act. 23. v. 7. errorem suum denuò propugnant, neque enim victi erant interioris per veritatis agnitionem & amorem, sed duntaxat exterioris per vibrantem & oculos percipientem veritatis fulgorem. Pulcrè Origen. tract. 23. in Matt.*

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

Sicut proprium iusti est tacere, non autem obmutescere, sic proprium est Sadducæorum, vel omnium, qui mendacii sunt doctores, obmutescere quidem, non autem tacere. Nam est obmutescunt, quantum ad rem, non tamen tacent. Malitia frequenter quidem vincitur, nunquam tamen placatur, ait Autor imperf. operis homil. 42

3. *Causam instrumentalem.* Unus ex illis Legis Doctor, quidam è Scribis interrogavit Christum. Quem admodum superius suos discipulos & Herodianos ablegaverant, ut captiosam quæstionem de censu Cæsari dando Christo proponerent, ita hoc loco quendam ex numero Collegarum suorum legis doctorem adhibent, per quem Christum adoriantur. Describitur is, quod fuerit 1. *εἷς ἐξ αὐτῶν, unus ex eis,* scil. Phariseus, Sectæ ipsorum additus, & quidem non discipulus sed Doctor, de quo sperabant rectius ipsum rem gesturum, quàm à discipulis erat factum. 2. *εἷς τῶν γραμματέων unus vel quidam ex Scribis,* qui ex Scripturarum peritia nomen acceperat; Erat non solum Phariseus professione; sed etiam Scriba officio & eruditione. 3. *νομικὸς legalis,* Hebr. *סוּפְרָן* à nomine *סוּפְרָן* quod legem significat. Ostendimus autem superius *νομικὸς* specialiter dictos fuisse illos Scribas, qui fuerunt non solum legis Doctores & Interpretes, sed etiam Assessores Synedrui, ac proinde jurisdictionem quandam habuerunt. 4. Audiverat Christum cum Sadducæis disputantem, ergò cognitum habebat, quibus armis Christus pugnaret, qua arte adversarios vinceret, nosse autem hostem magna pars est victoriæ. Hic ergò Scriba ex omni Phariseorum numero tanquam maxime idoneus delectus fuit, per quem sese Christum vincere posse sperabant. Unum autem deligunt, qui omnium nomine quæstionem proponeret. 1. Quia *ἀλαβίαν* quandam videbatur secum trahere, Christum simul à multis oppugnari, per quam sperata victoria defraudari possent, uni igitur totum negotium committunt, ut res feliciter geratur. 2. Ut minore cum dedecore unus à Christo vinceretur, quàm plures. Aut. operis imp. hom. 42. *Dicebant apud se, unus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per unum, ut si quidem vicerit, omnes videamur victores: si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus.* 3. Quidam putant, hunc Scribam suum erga Christum affectum, quem ex responso Sadducæis dato conceperat, occultasse, ac seipsum Collegis suis obtulisse, tanquam qui in promptu haberet quæstionem insignem & singularem, quæ facillè Christum inscitæ Scripturarum convincere posset, sed verisimilius est, hæc tentandi partes huic Scribæ à Phariseis impositas, propterea quod sapientiam Christi in responso Sadducæis dato demonstratam Collegis suis deprædicasset. Stolidum autem fuit hoc Phariseorum consiliū, quo sperabant se unius opera posse vincere eum, quem conjunctis viribus prius vincere non poterant, sibiq; persuadebant, ignominiam illam non ad se redundaturam, si unus ille à Christo vinceretur. O Pharisei, inquit aut. imp. oper. d. *Qui omnia propter homines cogitatis & facitis! Primum quidem venientes cum uno vincendi estis per unum, tamen pone, quia uno victo homines non intelligunt, omnes vos esse victos, nunquid conscientie vestra sentiunt se esse confusas? levis enim est consolatio, ut qui in seipso*

Sf 3

confu

confusus est, quod ab aliis ignoratur. In Scriba proponitur exemplum eorum, qui se ministros alienæ nequitia exhibent, & suum erga veritatem affectum premunt, ne aliorum odiis exponantur: sed ejusmodi homines cogitent, hunc Scribam paulo post ad saniorē mentem rediisse & publicè Christo testimonium dedisse, quod *sapienter & cordate* responderit, in qua confessione potiusquàm in dissimulatione ipsum imitentur.

4. *Causam finalem & scopum.* Interrogavit tentans eum. Quidam statuunt hunc Scribam non discendi, sed tentandi animo primùm venisse, postea verò audito sapientissimo Christi responso benè erga ipsum affici cœpisse, unde Origenes tract. 23. in Matth. dicit: *Omnes qui non discendi sed tentandi causa interrogat, estimare debemus illius Pharisæi fratrem.* Calvinus disputat, hunc *νομιός*, quia legis erat interpret, offensum fuisse Evangelii doctrinā, quā Moysi auctoritatem diminui existimabat, quamvis interim non tam legis zelo affectus fuerit, quàm quod indignè tulerit ex Magisterii sui honore aliquid decedere. Sed hoc proficitur ex falsa illa hypothese, quasi idem fuerit hic Scriba cum eò, cujus mentio fit Luc. 10. v. 25. Ostendimus autem superius ex verbis Marci, quod in primo statim congressu benè erga Christum affectus fuerit ob sapientissimum responsum Sadducæis datum, quod audierat & approbaverat. Quod ergo tentans Christum interrogasse dicitur, id potius ad Pharisæorum animum & scopum respicit. Scriba desiderabat audire sententiam Christi de quæstione ardua & maxime controversa. Pharisæi autem, quorum instinctu quæstionem illam proponebat, tentabant Christum, hoc est, cogitabant Christo vicissim os occludere, proposita quæstione difficili, ad quam non posset convenienter respondere, ut hac ratione coram populo eum confundere, ejusque auctoritatem elevare possent. Perversus ille Pharisæorum animus innuitur etiam in descriptione occasionis sive causæ impulsivæ. Cum audissent quod Christus Sadducæis os obturasset, convenerunt, videl. ut removerent à se ignominiam, quæ ex Sadducæorum convictione in ipsos videbatur redundare, quod judicabant non posse commodius fieri, quàm si par pari referendo quæstione aliqua indissolubili Christum vicissim convincerent. Convenerunt igitur, ut ejusmodi quæstionem invenirent, & unus ex eis, scil. post initum consilium, interrogavit Christum tentans & dicens, quod posterius tamen nec Syrus nec Latinus expressit, cum in Græcis Codd. omnibus habeatur. In Pharisæis Christum denuò tentantibus exemplum horribilis cœcitatatis proponitur, quā sperant, se confundere posse eum, qui est ipsa Dei sapientia, eumque vincere, qui est ipsa Dei virtus 1. Cor. 1. v. 24. In Christo toties à Pharisæis tentato exemplum morsus serpentini, quem Diabolus calcaneo ipse per sua organa infixit Gen. 3. v. 15. in Scriba tentationis administro exemplum illius regulæ, quod actio non tam ex intentione cause ministerialis, quam cause principalis æstimanda sit, quodq; jure dicatur tentare, qui tentantibus operam suam locat.

5. *Materiam sive quæstionem ipsam* προσελθὼν νομιός, cum accessisset Scriba instinctu Collegarum suorum, interrogavit Jesum dicens: Magister, quod est magnum præceptum primum omnium

in lege. Pharisæi, quia infeliciter cum Christo pugnant, quod sæpius mutabant certaminis formam; modò ipsimet Christum aggrediebantur, modò discipulos ablegabant, modò unum ex Collegis subornabant, modò veniebant soli, modò Herodianos sibi asciscabant socios; modò quærebant de potestate, qua Christus talia faceret, modò de censu Cæsari dando, modò de maximo legis mandato; nil ergo intentatum reliquerunt, ut Christum sermonibus suis illaqueare, & periculum ipsi creare possent. Hoc loco quæstionem proponunt de mandato magno, hoc est, maximo, quia positivus ex idiotismo Hebræo ponitur pro superlativo Gen. 42. v. 13. 1. Paral. 12. 4. &c. Quodnam, inquit, est mandatum omnium maximum & primum in lege, quod Deus præ reliquis omnibus maxime exigit, & cujus observatio ipsi est omnium gratissima? Quia futura est mortuorum resurrectio & alia post hanc restat vita, uti Sadducæis rectè respondisti, ideò ulterius jam ex te quærimus, quomodo ad eam pervenire, eamque promereri possimus, quod sit maximum mandatum inter omnia, quæ contententibus ad vitam æternam factum sunt necessaria? Præmittunt autem ad captandam benevolentiam titulum honoris, διδάσκαλε, Syrus reddidit, *רבינו*, præceptor noster, quasi dicat, doces populum totā die, nec tamen vis nobis dicere, quā potestate id facias. Quod si doctor populi esse cupis, necesse est, ut habeas scientiam legis divinitus nobis traditæ, ejus specimen quoddam exhibe, ostendendo, quodnam sit maximum in lege mandatum & omnium primum, non ordinis sed dignitatis ratione. Circa hanc quæstionem notandum 1. Quod alio animo proponatur à Pharisæis, alio verò à Scriba. Pharisæi afferebant animum tentandi, ut enim quæstionem de censu proposerant sine eo, ut Christum caperent in sermone, ita quoque eodem animo & sine hanc quæstionem de maximo legis mandato Christo proponi curabant. Scriba verò afferebat animum discendi, quem tamen apud Collegas suos dissimulabat. Audierat Christum sapienter & nervosè Sadducæis respondisse, ex quo intellexerat, ipsum in Scripturis profundissimè versatum, desiderabat igitur ejus sententiam de hac quæstione audire. Magister, inquit, quodnam est maximum mandatum? hoc est, video te esse magnum Doctorem & omnibus accuratè respondere, exime ergo etiam mihi eum, qui me urget, scrupulum, & magnus mihi eris διδάσκαλος. Quod ergo glossa interlin. dicit: Christum hic vocari ab illis Magistrum, qui noluerunt esse ipsius discipuli, id respectu Pharisæorum accipiendum, quorum impulsu & in quorum præsentia hæc quæstio proferebatur, non autem respectu illius Scribæ, qui eam Collegarum suorum nomine proponebat. 2. Quod sit petita ex lege: νομιός erat, qui quærebat, ideò materiam deligebat ex suo foro, hoc est, ex lege, cujus interpret ac doctor erat. Christus videbatur Pharisæis à Mose homines abducere ad novam aliquam doctrinam, ideò voluit ipsum hac quæstione ad Mosen retrahere, ut vel invitus fateri cogatur, in Mose perfectam divini cultus & pietatis normam esse propositam, ac proinde veteri doctrinæ, cujus ordinarii professores ipsimet erant, nunc esse adhærescendum, repudiatis omnibus novitatibus. 3. Quod nō απλώς sed διὰ λόγον συζητήσεως si ve

sive comparatè instituat. Non enim quærunt, quod sit *magnum* in lege mandatum, cum nihil parvum sit, quod Deus mandat, sed quod sit *maximum* mandatum. Hieronymus quidem in c. 22. Matth. significationem positivi in voce *μεγίστην* retinet: *Interrogat, inquit, Christum legis doctor non de mandatis, sed quod sit primum magnum, mandatum, ut cum omnia, quæ Deus mandaverit, magna sint, quicquid Christus responderit, occasionem habeat calumniandi, aliud asserens magnum esse mandatum de plurimis.* Sed ex Marco intelligitur, magnum mandatum hoc loco idem esse quod maximum, quia Scribam quæsiisse asserit: *Quodnam sit primum omnium præceptorum?* 4. Quod fuerit tunc temporis maximè controversa. Beda in c. 12. Marc. ex responsione Scribæ, quæ dicit: *Deum & proximum diligere esse majus omnibus sacrificiis, colligit, inter Scribas seu Legis peritos acriter fuisse certatum de hac quæstione, quibusdam præferentibus omnibus aliis mandatis ea, quæ de sacrificiis & oblationibus agunt, quasi nihil possit Deo gratius præstari, quam si variis sacrificiis coleretur, quæ opinio Phariseis totis ex avaritia compositis mirificè ablandiebatur, quibusdã verò præceptum de dilectione Dei & proximi omnibus Ceremonialibus legibus præferentibus, ut patet ex Luc. 10. v. 27. eò quod plurimi Patrum ante legem absque omni victimarum & sacrificiorum consuetudine ex fide tantum, quæ per dilectionem operatur, placerint Deo, summoque apud ipsum loco habiti fuerint, nemo autem unquam absq; fide & dilectione per holocausta solum & sacrificia Deo placuisse inveniretur, quorum sententia etiam huic Scribæ probabatur: interim quia de ea adhuc dubitabat, ideò Christo quæstionem illam proposuit, ut quid ipse de ea sentiret, intelligeret, & in veritate magis confirmaretur.* 5. Quod fuerit utilis & necessaria quæstio. Pharisei tunc temporis multas inutiles quæstiones inter se agitabant de genealogiis, de traditionibus, de lotionibus, &c. quas Apostolus vocat *μωσαϊκὰς καὶ ὑψηλοῦς* 2. Tim. 2. vers. 23. talis non erat hæc quæstio, sed scitu digna & necessaria. Pharisei urgebant Ceremonias sacrificiorum & cultum Leviticum in lege Mosis præscriptum, quibus accedente externa erga legem morale obediencia & fida traditionum custodia docebant homines mereri peccatorum remissionem & vitam æternam. Christus verò negabat externis Ceremoniis & earum observatione hæc beneficia comparari posse, sed requiri fidem in promissum & exhibitum Messiam, quæ se per dilectionem Dei & proximi exerant, hanc dilectionem omnibus Sacrificiis & Ceremoniis esse longissimè præferendam Matt. 9. v. 13. c. 12. v. 7. inde hic Scriba quærunt, *quodnam sit præcipuum in lege mandatum, quem cultum Deus potissimum exigit, quæ opera ipsi cum primis placeant, in quo cum primis vera pietas & justitia consistat.* 6. Quod fuerit difficilis quæstio. Ad ejus enim solidam explicationem necessaria erat omnium mandatorum prompta notitia, quorum quædam erant *moralia*, quædam *judicialia*, quædam *ceremonialia*. Judæi numerant 613. præcepta legis, quem numerum colligunt ex eo, quod sint totidem literæ in præceptis Decalogi, eumque symbolicè per Rache Theboth exprimunt hisce literis *רַחֵם*. Hæc 613. præcepta dividunt in *affirma-*

tiva & negativa. Affirmativa vocant *מצוות* præcepta fac, hoc est, faciendi, quorum numerant 248. secundum numerum ossium in corpore humano, quorum singulis suum præceptum accommodatum *מצוות* dicunt, eaque exprimunt voce *רַחֵם*: Negativa vocant *לא תעשה* præcepta de non faciendo, quorum numerant 365. secundum numerum dierum in anno Solari, eaque exprimunt voce *שׁוּב*. In Thalmud recensentur quingentæ & tredecim traditiones, quas omnes inter divina mandata referunt. Ex tanto igitur præceptorum numero proferre omnium primum & maximum non est cujusvis, sed ejus solius, qui in lege sit exercitissimus. Accedebat, quod Christo ex tempore erat respondendum ad illud, ad quod tantus legis doctor præmeditatus accedebat. 7. Quod respectu ad Phariseorum intentionem habita hæc quæstio fuerit captiosa. Quia enim in tanto legum Mosaicarum cumulo fieri non poterat, ut populus unum aliquod mandatum consentiente suffragio reliquis omnibus præferret, & ejusdem omnino circa Mosaicæ leges esset sententiæ, sed unus hanc, alius illam, tertius aliam legem ceteris omnibus præferendam putabat, inde sperabant Pharisei, hac quæstione de maximo legis mandato, velut eridos quodam pomo in medium projecto, divortia sententiarum in populo oritura, & quicquid tandem Christus responderet, dissidii occasionem præbiturum, qua ratione animos auditorum à Christo alienatos & autoritatè ejus oppressum iri sperabant. Theophyl. in c. 22. Matth. aliam ipsorum technam aperit. *Accedunt ventantes si apponat aliquid mandato primo q. legem corrigens, ut inveniant contra ipsum ansam.* & in c. 12. Marc. *Putabant reprehendi posse Christum, qui emendaturus esset legem, unde accusari posset tanquam legis adversarius.* Nimirum si diversum quid à lege Mosaica Christus proferret, accusaturi eum erant tanquam apostatam, hostem Mosis & novæ doctrinæ autorem; Sin eadem, quæ in lege continentur, monituri erant populum, ne tantopere ipsi adhererent, cum eadem in Synagogis ex lege quotidie audirent. Apparet autem ex hoc loco 1. Illos qui se legis doctores & interpretes profiterentur, quandoque finem & scopum legis ignorare Rom. 2. 20. c. 10. 3. 1. Tim. 1. 7. &c. 2. De maximo mandato quandoq; illos interrogare, qui nec minima observant. Autor operis in perf. hom. 42. *De magno mandato interrogat, qui nec minimum observat, ille enim debet interrogare de majori justitia, qui jam minorem complevit.* Similes illis sunt, qui alta & subtilia quærunt, cum communem & necessariam doctrinam nondum intelligant. 3. Extra legem non sunt quæranda Dei mandata, sed in lege, quia lex perfectam mandatorum divinorum enumerationem continet. Ergo etiam extra legem & præter legem non sunt quæranda opera Deo grata & placencia. 4. Quod omnium Phariseorum Collegarum suorum nomine hic Scriba Christum vocat *Magistrum*, quem tamen Pharisei in corde suo profectore habebant, ex eo Simon de Cassia lib. 1. c. 53. ejusmodi necit observationem: *Multi vocant Dominum, cui subditi volunt; multi magistrum, cuius doctrinam despiciunt; doctorem, cui contradicunt. Multi vocant Patrem, & veram filiationem non exhibent; multi amicum, quem moderant. Multi extollunt virtutes*

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

S s 4

sutem

tutem verbis & eidem moribus adversantur. 5. Deniq; Auditor. imperf. oper. ho. 42. varias illas & diversas quaestiones Christo Pharisaïs, Scribis & Sadducæis propositas nostræ salutis in servire admonet: *Judei, inquit, diversis interrogationibus Christum tentantes, sibi quidem acquisiverunt interitum, nobis autem providerunt salutem.* Nam verba Christi illis profecerunt ad confusionem, nobis autem ad edificationem. Videam⁹ verò Christi responsionem huic Scribæ datam: *Jesus autem respondit & ait illi: Primum omnium præceptum est, audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Pharisaï, quorum nomine & in quorum præsentia hic Scriba quaestionem proposuerat, Christum hac quaestione tentabant, nihilo tamen minus Christus promptè & sine mora respondit. 1. *Respectu sui*, ut suam in lege peritiam demonstraret, seq; ad docendum omnes paratum esse ostenderet, ac radium aliquem divinæ sapientiæ exerceret. 2. *Respectu querentis Scribæ*, ut benè erga se affectum & discendi studio querentem ad uberiores veritatis cognitionem perduceret. Qui hunc Scribam itidem ut Pharisaos tentandi, non discendi studio quaesivisse statuunt, respondent, Christum præcivisse ipsum correctum iri, ac proinde responsionem ei denegare noluisse. 3. *Respectu turbae præsentis*, quæ ab ore docentis studiosè pendebat, quam explicatione hujus necessariæ & utilis quaestionis defraudare noluit. 4. *Respectu Pharisaorum*, ut ipsis, pari ratione quæ Sadducæis, os obstrueret, ne calumniari possent, eum, qui in templo quotidie docebat, ignorare illud, cui⁹ notitia in doctore vel maximè requiritur, utq; eos, qui venerant ad se confundendum, ipse confunderet. 5. *Respectu nostri*, ut summam & leopum totius legis nobis demonstraret, quia per sanctos suos amanuenses, Evangelistas scilicet, hoc responsum suum annotari voluit. Desumit autem responsionem ex Mose, & quidem ipsius Moïsis verbis, quodnam sit maximum mandatum, explicat. 1. Quia quaestio instituta erat de mandato maximo in lege, scilicet Moïsis, jã verò responsio quaestioni debet esse conformis. 2. Ne responsio ex Mose, cujus autoritas ipsi erat sancta, petita, ullo prætextu ab ipsis repudiari posset. 3. Ne calumniari possent, ipsum afferre novam doctrinam ac auditores suos à lege abducere. Responsi ipsius tria possunt constitui membra. Primum continet maximi mandati recitationem. Alterum mandati maximo proximi enarrationem. Tertium utriusq; commendationem. 1. Primum, inquit, omnium præceptum est. In Græco additur *orî*, sed illud ex Græcorum idiotismo redundat, ideò Syrus illud rectè omisit. Vulgata versio expressit per *quia*, sed præter rationem. *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis: Hoc est primum & magnum mandatum.* Duæ sunt hujus primi & maximi mandati partes, quarum utraq; totidem verbis extat Deut. 6. v. 4. & 5. Prior continet præceptum, Posterior ipsum præceptum. In præcepto Moïsis maximum mandatum recitaturus sibi parat attentionem ac præfatur, quis sit Deus, quem populus Israeliticus debeat ex toto corde diligere. *Audi, inquit, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est.* Latinus interpres reddidit: *Dominus Deus tuus est Deus unus.* Sed Græcus textus respondet He-

bræ veritati, quam etiam Syrus fideliter expressit. In ea autem legitur: *Dominus Deus noster Dominus unus est.* Hoc præceptum Moïses mandato de dilectione Dei præmittere voluit. 1. Ut præceptum illud magis commendaret ac majorem auctoritatem ei conciliaret. Quando enim Moïses & Prophetæ rem magni momenti ac ponderis exponere volunt, solent ejusmodi præceptum præmittere, per quod auditorum animos ad attentionem excitent. Nu. 12. v. 6. c. 16. v. 8. Deut. 4. v. 1. c. 5. v. 1. c. 9. 1. &c. interdum etiam *cælum & terram* per quamdam propopæian compellant & in testimonium vocant, ut homines ad audiendum magis excitentur Deut. 32. v. 1. Esai. 1. v. 2. &c. Ad hanc præcepti commendationem etiam illud pertinet, quod tercia litera in voce prima *אודי* audi, itemq; tercia in voce ultima *אודי* unus & majuscula scribantur, quodq; recitato de dilectione Dei præcepto Moïses v. 6. subjicit: *Et erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo. v. 7. Et repetes ea filius tuus, & loqueris cum eis, quando sedebis in domo tua, & quando ambulabis per viam, & quando accumbes, & quando surges. v. 8. Et ligabis ea in signum in manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos. v. 9. Et scribes ea in postibus domus tuae & in portis tuis; quæ omnia eo fine à Mose adduntur, ut præceptum hoc dilectionis eò magis Israelitico populo commendat & inculcet, quò referri etiam potest, quod Judæi hunc articulum secundum faciunt in Symbolo fidei, quod celebrant tredecim articulis constans & inter 613. præcepta, quibus legem Moïsis constare dicunt, decimum numerant. Paulus Fagius in comment. c. 13. Ex. memorat: *Judeos verba hæc, audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est, non solum quotidie legere, sed etiam membrana pure inscripta intra casariam & frontem & sinistrum brachium alligare, neque quicquam usquam esse ex omni lege mutuatam, quod aequali religione dignentur.* 2. Ut objectum dilectionis explicaret, quis scilicet sit ex toto corde, ex tota anima & ex omnibus viribus diligendus, nimirum verus ille Deus; qui est Deus Israelis, hoc est, qui se huic populo certis & illustribus testimoniis patefecit, qui est unus in essentia, solus verus Deus Deut. 4. vers. 35. cap. 32. vers. 39. &c. extra quem non est alius Deus, nec quisquam ipsi similis Deut. 4. vers. 39. cap. 10. vers. 17. cap. 32. vers. 39. qui est primus & novissimus, ante quem non formatus alius Esai. 41. vers. 4. cap. 43. vers. 11. cap. 44. vers. 6. c. 48. vers. 12. &c. qui est simplicissimus, non compositus ex patribus quantitativis, nec ex materia & forma, nec ex genere & differentia, nec ex subjecto & accidente, nec ex actu & potentia, nec ex supposito & Natura, nec ex esse & essentia; adeoque absolute simplex nullam prorsus compositionem admittens, & in nullius rei compositionem veniens, qui distinctus est ab omnibus *λεγομένοις θεοίς*, quorum plures in mundo dantur 1. Corinth. 8. vers. 5. hæc enim omnia hæc vocula exprimuntur, quando Dominus Deus noster dicitur *Dominus unus & solus.* Non tamen per hanc divinæ essentia unitatem excluditur Trinitas personarum, quam alibi Scriptura disertis verbis tradit, cum nomen Jehovah in singulari positum sit nomen essentia, quæ per Trinitatem personarum nec dividitur nec multiplicatur; quoniam Euthymius in c. 12. Marci notat, in hoc ipso loco*

loco divinæ essentia unitatem eo modo describi, ut simul innuatur: & *mysterium Trinitatis* in triplici nominis Dei repetitione, & *mysterium incarnationis*, per id quod nomini Deus secundo loco posito adjicitur pronomen *nosser*, sicut etiam fieri videmus Pf. 67. v. 7. *Benedicat nos Deus, Deus nosser, benedicat nos Deus*, quia scilicet secunda persona Trinitatis, Filius Dei peculiari assumptæ carnis ratione factus est *nosser Deus*, quod nec Patri personæ primæ, nec Spiritui sancto personæ tertie competit. Nec ipsi Rabini prorsus ignari fuere hujus mysterii in verbis Mosaicis contenti. Nam in libro Zohar, cujus summa apud Judæos autoritas. R. Simeon Ben Johai profert locum ex R. Ibba super hunc textum, in quo R. Ibba per *primum Jehovah*, quod est nomen Dei incommunicabile, intelligendum esse dicit *Patrem omnium Principem*; per *Eloheni Dominum* sive *Deum nostrum*, *Filium omnium scientiarum fontem*; per nomen *Jehova* denuo repetitum *Spiritum Sanctum ex ambobus procedentem, qui sit vocis mensura*. Vocari verò unum, quia sit individuum, nec revelatum iri hoc arcanum ante adventum Messie. Confer Weidner. in locis Christ. fid. præcip. tract. 1. p. 139. 3. Ut ostenderet dilectionem Dei prærequirere fidem & ex fide promanare, hæc enim vox fidei est, *audi Israel*, siquidem *שמע* non solum significat *audivit*, sed etiam *obediit & credidit*. Quando igitur mandato de Deo diligendo Moses præmittit, *audi Israel, Dominus Deus nosser Dominus est*, eo ipso innuit, quod veram Dei dilectionem præcedere debeat vera veri Dei agnitio & fides, ut credatur, quod unus sit Deus, non plures; quod solus ille Deus, qui Israel in peculiarem populum adoptavit, sit verus Deus, &c. atque ut in illo omnis fiducia colloquetur, ex qua veri Dei agnitione & fide postea oritur dilectio, quæ non potest ferri in objectum ignotum. 4. Ut ostenderet, non sufficere nudam fidei professionem ac persuasionem, nudam illam Historicam fidem, qua creditur, quod sit Deus & quod unus sit, sed requiri etiam unius ac veri illius Dei dilectionem & cultum, ideò statim additur, *& diliges Dominum Deum tuum*, ubi copulativa *ו* & *אשר* juxta phrasin Hebræam ponitur illativè pro *et*, itaque *diliges*, cujus significationis exempla etiam alibi occurrunt Pf. 18. v. 47. Pf. 51. v. 7. Hof. 10. v. 4. Am. 5. v. 27. Marc. 12. vers. 37. &c. *Cum dicit audi*, ait Stapulensis, *credere præcipit: nam fides est ex auditu; & cum dixit, diliges, creditur ac fidei dilectionem adjungendam esse docuit, Quia unus ille verus Deus est Jehovah Dominus, summum Ens, summum bonum, ideo super omnia est diligendus; quia est Deus nosser, qui factus nobiscum inuit, quemque colendum suscepimus, ideò à nobis etiam diligendus est; quia est unus Dominus, ideò ex toto corde diligendus est, si enim in multis Deos divisisset, cordis etiam dilectio in plures dividi posset; unde in ipso dilectionis mandato hæc verba *Dominus Deus nosser* denuo repetuntur. Sic enim habet maximum illud de Deo diligendo præceptum: *Et Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis*. Futurum *אמרת* *ἀγαπήσεις* ex idiotismo Hebraico ponitur loco imperativi, *dilige*, sicut etiam in Decalogo verba fere omnia singulorum præ-*

ceptorum sunt futuri temporis, *non habebis Deos alienos, non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, non machaberis*. Posset tamen usus futuri pro imperativo haud inconcinne sic accipi, quod eo significetur, tum *dilectionis perseverantia*, quod scilicet non sufficiat semel atque iterum dilectionis actum exercere, sed quod continuo & indivulso amoris actu Deus sit diligendus, quod in sancta Dei dilectione perpetuò sit proficiendum, inque ea constanter perseverandum; tum *virium nostrarum adjuvantia*, quod non sit in naturalibus liberi arbitrii viribus Deum ex toto corde diligere, quodque plena & perfecta hujus legis observatio non sit speranda in hac, sed demum in futura vita, tum denique; *promissio quædam Evangelica*, quod non per legem, quæ est litera mortua, sed per Sp. S. ac per verbum Evangelii dilectio Dei in cordibus sit accendenda Jer. 31. v. 33. Ro. 5. v. 5. 2. Cor. 3. v. 6. &c. unde etiam dilectionis præcepto Deut. 30. v. 6. præmittitur promissio Evangelica de circumcissione cordis sive spirituali. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua*, quam esse promissionem vere Evangelicam, docet Apostolus Ro. 10. v. 8. & ostendit hoc res ipsa, quia *Spiritum*, cujus opus est illa cordis circumcissio, non accipimus ex lege & ex operibus legis, sed ex auditu fidei, id est per verbum Evangelii, ex cujus auditu est fides Gal. 3. v. 2. Alloquitur ergo Moses populum Israëliticum, quem Deus vocat *filium suum primogenitum* Ex. 4. 22. ac præcipit, ut filiali amoris affectu Deum ut Patrem complectatur, sicque eum, à quo paternè diligitur, filialiter vicissim diligat. Exprimat etiam dilectionis objectum. *Diliges Dominum*. In textu Mosaico extat nomen tetragrammatum *Jehovah*, quod est solius veri Dei proprium nec ulli in tota Scriptura vel creaturis vel fictitiis Diis tribuitur. LXX. illud reddiderunt per *κύριος* quod nomen certo quodam respectu & in generali significatione quandoque creaturis tribuitur, interim tamen primò ac principaliter in eminentiori ac propria significatione itidem de solo vero Deo usurpatur 2. Cor. 8. v. 6. Eph. 4. v. 5. Syrus reddidit *מרומים* quod ex Hebræo *מרום* formatum statuunt, sed rectius dicitur, esse vocem Syris peculiarem, quæ significat *Dominum*. Per nomen igitur *Jehovah* summum illud summæ dilectionis objectum ab omnibus non solum fictitiis Diis, sed etiam creaturis distinguitur, ac simul causa & modus dilectionis exprimitur, ut postea demonstrabimus. *Diliges Dominum Deum tuum*, in Heb. ponitur vocabulum *אלהים* quod R. Aben Ezra dicit esse *nomen potestatis non substantiæ*, cujus singulare est *אלהים*. Varias ejus proferunt derivationes, sed rectius statuitur esse primitivum. Ut autem passim in Scripturis nomen *Jehovah* cum voce *Elohim* conjungitur, ita idem hoc loco à Mose observatur, quia *Jehova* est nomen essentialiale, *Elohim* verò personale, cum ponatur in plurali; *Jehova* notat essentialiam, *Elohim* verò attributa; *Jehova* est absolutum, *Elohim* verò relativum; dicitur enim verus Deus *Elohim*, quatenus est creator, conservator, gubernator omnium rerum, judex universorum ac totius mundi, gratiam & auxilium præstans

piis

piis, iustitiam & vindictam impiis, unde etiam in descriptione creationis Moses Deum vocat *Elobim* Gen. 1. v. 1. ut intelligamus eundem esse mundi creatorem, qui est ejus conservator & gubernator ac iudex totius mundi. Ut ergo nomen *Yehovah* significat Deum, qualis est in sua Natura, sic *Elobim* describit eum, qualem se in operibus suis patefecit, quod ipsum manifestius indicat Moses, quando addit affixum relativum, *diliges Dominum Deum tuum*, qui scilicet te creavit, qui te adhuc conservat, qui omnis generis beneficiis te cumulat, qui ab omni malo te custodit. Cum primis verò hic respectus habetur ad beneficia populo Israëlítico propria, quia peculiariter Moses hic alloquitur populum Israëliticum: *Diliges Dominum Deum tuum*, qui te in populum peculiarem elegit, qui te in filium adoptavit, qui ex Ægypto te eduxit, qui promissionem introductionis in terram Canaan tibi dedit, qui te paternè diligit, in deserto alit, adversus hostes tuetur, quem solum colendum recepisti, ipsique ad obediendam te obstrinxisti. Et quia corporalia illa beneficia populo Israëlítico præstita, fuerunt typi spiritualium beneficiorum in N. T. per Messiam Ecclesiæ exhibendorum, ideò respectu nostri in N. T. sensus verborum hic est: *Diliges Dominum Deum tuum*, qui te per Filium Mediatorem ex potestate Satanæ & mortis liberavit, qui per Spiritum sanctum te ad confortium Ecclesiæ vocavit, per Baptismum regeneravit, per verbum Evangelii illuminavit, qui promissionem vitæ & salutis æternæ tibi dedit &c. ut sic nova dilectionis causa, eaque longè maxima in hoc nomine contineatur. Deniq; addit Moses dilectionis modum. Diliges Deum ex toto corde tuo. In Hebr. est ככל לבבך quod LXX. reddiderunt ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, quam versionem secutus est Marcus. Potest etiam verti ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ, ut est apud Matthæum, præfixum enim כ quod hoc loco simul est Beth vasis notans subiectum in quo & בעזר Beth auxilii notans instrumentum aut modum actionis, quandoque vertitur per ἐν in Nu. 14. v. 3. Prov. 24. v. 6. Matth. 3. v. 11. &c. quandoque per ἐξ Hab. 2. v. 4. Galat. 3. v. 11. &c. ergo unum idemque denotatur, sive Deus in toto corde, sive ex toto corde diligendus dicatur. Non solum verò diliges ex toto corde tuo, sed etiam ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua, ut ex hoc loco apud Marcum. In recitatione hujus legis non semper hæc quatuor membra, sed quandoque tantum tria, quandoque tantum duo ponuntur Deut. 6. v. 5. 2. Reg. 24. v. 25. ponuntur tria, *diliges Dominum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, Heb. ככל לבבך & ex tota fortitudine tua, Heb. ככל מטרך* ex toto valde tuo, hoc est, ex tota vehementia tua, adverbium enim hic ponitur pro nomine substantivo (sicut alias sæpius ponitur pro adjectivo 1. Sam. 25. v. 31. Nehem. 2. vers. 12. Proverb. 3. v. 25. cap. 15. v. 24. cap. 24. v. 28. 2. Petr. 1. v. 9. &c.) Aibi ut Deut. 10. v. 12. cap. 11. v. 13. cap. 13. v. 3. cap. 26. v. 16. cap. 30. v. 6. Jos. 22. v. 5. ponuntur tantum duo, *diliges Dominum ex toto corde tuo & ex tota anima tua*. Eadem diversitas in Nov. Testam.prehenditur. Marc. 12. v. 30. ponuntur quatuor, ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, ἐξ ὅλης τῆς Δυναμείας, ἐξ ὅλης

τῆς ἰσχύος ac vers. 33. pro ἐξ ὅλης τῆς Δυναμείας ponitur ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως. Luc. 10. vers. 27. itidem hæc quatuor ponuntur, sed ἐξ ὅλης τῆς Δυναμείας ultimo loco recensetur. Matt. 22. v. 37. tria tantum recensentur ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ, ἐν ὅλη τῇ ψυχῇ καὶ ἐν ὅλη τῇ Δυναμείᾳ. Syrus pro adverbio Hebræo ככל ponit nomen כח quod robor corporis ac animi, virtutem, alacritatem & strenuitatem significat, pro Δυναμείᾳ ἢ συνέσει nomen ἔργον quod voluntatem ac cogitationem notat. Antequam verò inquiremus, quid per dilectionem Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente & ex tota virtute intelligamus, audiemus prius hac de re differentes veteres, ut ex collatione sententiarum res fiat clarior. Hebræi hunc locum Mosaicum sic exponunt: *Summus gradus colendi creatorem est, ut servias ei ex dilectione, & non propterea, ut mercedem seu præmium accipias. Dilige ex toto corde, quod solum opus tuum bonum vel malum facit; deinde etiam ex tota anima, ut etiam si causare queat, non trepides pro eo exponere animam, id est, corporalem vitam. Tertio ex tota virtute tua, ut omnium rerum tuarum dispendium incurere potius velis, quam ab amore Dei defletere.* Ex Christianis Interpretibus variæ proferri possunt explicationes, quarum potiores enumerabimus. Origenes tractat. 23. in Matth. *Hi soli magnitudinem hujus mandati in se suscipiant & primatum, qui non solum diligunt Dominum Deum suum, sed etiam tria illa susceperint, id est, ut ex toto corde suo apud se illam totam recondant, & operationes ejus & cogitationes ejus: & ex tota anima sua, id est, ut parati sint ponere eam pro pietate Dei, qui universa creavit, quando utilitas exegerit verbi: ex eo quod ex tota anima diligit Deum, ita ut nulla pars anime evellatur ad aliquam rem, que à fide est aliena: & in tota mente nostra nihil aliud cogitantes vel proferentes, nisi ea que Dei sunt. Et vide, si potes cor quidem accipere intellectu, qui est in intelligibilibus speculans & ostendens fontem & principium eorum, quod est Deus, mentem autem ad proferendas res. Mente enim proferimus singulas res & per unumquodque significatum quasi mente nostrâ inambulamus atque proferimus. Et si quis ingeniose intelligat mandatum, quod de dilectione positum est in omnibus illis tribus, que sunt nominata, & consideravit in singulis quibusque fidelibus Dei dilectionem, inveniet totum mandatum, aut apud unum forsitan, vel secundum, vel tertium, & hoc si fuerit datum in omnibus, aut Dei dilectionem minus habentem vel modicum vel amplius, aut ex eo, quod dicit, ex toto corde, aut ex eo, quod ait, ex tota anima; aut ex tota mente. Ambrosius de dignit. human. condition. c. 2. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, id est, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria, ex his tribus quasi excellentioribus anima dignitatibus jubemur diligere conditorem, ut in quantum intelligitur, diligitur; & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas, imo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, quæ semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, ut sicut non potest esse momentum, quo homo utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ, ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria.* Gregorius Nyssenus lib. de hominis opific.*

opific. c. 8. Quando Dominus in Evangelio Scribam docet, amorem in Deum ex toto corde & anima & mente perfectum ceteris Dei scitis longè antefendum esse, cordis appellatione crassius illud corporis in homine temperamentum (hoc est, pars in homine nutrans sive anima vegetativa) venit, anima verò medium (hoc est, anima sentiens) mentis denique vox excellentiorem illam facultatem significat, quã omnia & intelligimus & effecimus. Autor operis imperfecti. hom. 42. in Matth. Quid est diligere Deum ex toto corde? id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius quàm ad Dei, nec delecteris in aliqua specie mundi amplius quàm in Deo, non in honoribus, non in auro vel argento, non in possessionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut vestibus, non in filiis aut parentibus aut amicis, sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum, pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem anandum inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum, &c. Quid est in tota anima diligere Deum? id est, certissimum animum habere in veritate & firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis & alius est amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis est, ut etiam carnaliter Deum diligamus, quod facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mundalium rerum, &c. cordis amor non intelligitur, sed sentitur in corde, quia quodammodo carnalis est. Amor autem animæ non sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ iudicium ejus est, &c. Si intellectus tuus per aliquis doctrinæ seductionem percussus, ceperit dubitare de substantia Dei, in tota anima non diligis Deum. Quid est in tota mente diligere Deum? id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad te, Deo vacent, cujus intellectus Deo ministrat, & cujus sapientia circa Deum est, cujus cogitatio ea, quæ sunt Dei, tractat, cujus memoria quæ sunt bona recordatur, tota mente diligit Deum. Aug. Lib. 1. de doct. Christ. c. 22. Diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vite nostre partem reliquit, quæ vacare debeat & quasi locum dare, ut aliã re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. lib. de dilig. Deo c. 2. Diliges Deum ex toto corde, id est, ex toto intellectu; ex tota anima, id est, ex tota voluntate tua; ex tota mente tuâ, id est, ex tota memoria, ut omnes cogitationes tuas, omnemque vitam tuam & omnem intellectum tuum in illum conferas. Gregor. lib. 3. c. 1. expositionis in primum librum Regum. Tres gradus dilectionis esse ipsa veritate docente didicimus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, sed quid in corde accipimus, nisi consilium? Quid autem in mente, nisi voluntatem? Quid verò in virtute nisi amoris affectio designatur? Sed & per consilium quid aliud quam veritatis certitudinem investigamus, & per voluntatem quid diligentes nisi bona valde concupiscimus? Per affectionem quid nisi veri gaudij perfruitionem querimus? Per gradus namque dilectionis ad summa sustollimur, cum cordis nostri consilio veritas revelatur, & voluntati mentis bonitas vera conceditur, atque affectioni virtutis nostræ per infusionem divinæ gratiæ

spiritali & verum gaudium datur. Theophylactus in c. 22. Nysseni vestigiis insitit: Tres in anima discimus esse vires, plantativam, animalem & rationalem, &c. Vide igitur hoc loco quid illa tria significant. Diliges Deum tuum in toto corde tuo, hæc est brutalis animæ pars: & in tota anima tua, hæc est plantativa virtus, animata enim sunt plantæ: & in tota mente tua, hæc est vis rationalis. Et sic oportet Deum diligere totã animã, hoc est, omnibus partibus & virtutibus animæ ei adharere. Anselmus in c. 22. Matth. sequitur Augustinum: Diliges Deum ex toto corde, hoc est, ex intellectu toto & perfecto, ut in confessione divinitatis nullum relinquis erroris locum. Ex tota anima, i. e. ex tota voluntate, ut scilicet nihil DEO contrarium velis. Ex tota mente, id est, ex tota memoria, nihil remittens, quo minus de eo sentias. Bern. ser. 20. in Cant. Mibi videtur, si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrat, amor quidem cordis ad celum quendam pertinere affectionis; anime verò amor ad industriam seu iudicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. — Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: Dilige totã rationis vigilantia & circumspessione; Dilige & totã virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, &c. Amemus affectuosè, circumspecte & validè, scientes amorem cordis, quem affectuosum dicimus, absque eo, qui dicitur anima, dulcem quidem sed seductibilem: istum verò absque illo, qui virtutis est, rationabilem esse, sed fragilem, &c. Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, totã animã, totã virtute diligere est. Gloss. ordin. in c. 22. Matth. Ex toto corde, integritas fidei exprimitur; in tota anima, perfecta obediencia exigitur: in tota mente, perseverantia ostenditur. Tho. 2. 2. q. 14. art. 5. Per cor, quod primo loco ponitur; intelligit voluntatem, per reliqua tria intelligit tria actuum principia, quæ moventur à voluntate; intellectum scilicet, qui per mentem significatur; appetitum inferiorem, qui per animam; vim executivam exteriori, quæ per virtutem seu vires, ut Deus præcipiatur nobis eo modo diligendus, ut tota nostra intentio in Deum feratur, quod est ex toto corde, intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; & appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima; & exterior noster actus obediatur Deo, quod est ex tota fortitudine. Hoc plenius declarat Lyranus in c. 22. Matth. Tomæ vestigiis arctè insitens: Quatuor sunt de ratione hujus præcepti, scilicet diligere Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima & ex tota fortitudine; cujus ratio est, quod diligere est actus voluntatis. Duplex autem est actus ejus, scilicet unus elicited & alter imperatus. Actus elicited est, qui immediatè egreditur ab ipsa voluntate, & iste actus tangitur, cum dicitur, diliges Dominum tuum ex toto corde, id est, ex tota voluntate, quia sicut ex corde oritur motus ad alias partes corporis, ita voluntas movet alias potentias animæ. Actus autem imperatus voluntatis est actus alterius potentie mota ad suum actum per voluntatem. Per voluntatem autem informatam caritate movetur intellectus ad assentiendum his quæ sunt fidei, & ad meditandum de Deo dilecto, & iste actus significatur, cum subditur, in tota mente. Ibi enim accipitur mens pro ipso intellectu. Ulterius per voluntatem movetur appetitus sensitivus, ut conformetur parti superiori, quia sicut sphaera superior movet inferiores suo motu, ita voluntas appetitum

sensi-

sensitivum, & iste actus notatur cum dicitur. Et in tota anima. Per animam enim hic intelligitur appetitus sensitivus, sicut homo dicitur factus in animam viventem, id est, vitam animalem & sensibilem corpori dantem. Ulterius per voluntatem moventur potentie motiva & executiva ad operandum ex dilectione, & hoc notatur, cum subditur, ex tota fortitudine vel ex omnibus viribus tuis.

Hæc ex veteribus adducta de multis utiliter monere poterunt. Nos hac vice explicationem maximi illius de dilectione mandati revocabimus ad tria capita, ut expendamus 1. *Tò dñm.* 2. *Tò dñm.* 3. *Tò πῶς, τὸ ὅτι* in eo consistit, quod Deus sui dilectionem in hoc maximo mandato requirit. Diliges, inquit. Est autem diligere suavi amoris affectu aliquid in precio habitum complecti, finem desiderii sui in illo statuere, corde ipsi adherere, &c. Quare præceptum hoc dilectionis dicitur maximum, eius rei causam hanc tradunt Hebræi, quia hic sit summus divini cultus gradus. Tribus, inquit, modis admonuit Deus Israel ad colendum se. Timore scilicet, juxta id quod dicitur, Dominum Deum timebis; acceptione præmii, sicut dicitur, ut bene sit tibi ac prolonges dies tuas; & dilectione, ut hoc loco. Differunt autem hæc tria inter se. Multi enim homines sunt, qui faciunt præcepta Regis, non propter id quod diligunt Regem, neq; ut recipiant mercedem, sed quia timeant Regem, ne ipsis noceat. Atq; his similes sunt hi, qui colunt Deum, ne sibi noceat in præsentis seculo, & ne forte etiam post mortem adjudicet eos gehenna. Et hæc quidem ratio bona est, ut aliquis sibi timeat à Deo, sed non est fundamentum cultus divini, quia præcipua causa ad quam intendit, est proprium commodum. Multi quoque colunt eum eâ conditione, ut benefaciat ipsis in præsentis seculo & in futuro seculo; quæ & ipsa bona ratio est, quia creditur quod Deus sit, qui rependat bonam mercedem. Verum nec hæc præcipua causa est colendi Deum. Nam summus gradus colendi creatorem est; ut servias ei ex dilectione, & non propterea, ut mercedem seu præmii accipias. Maximum igitur mandatum non statuitur in agnitione Dei, quia literalis & Historica Dei notitia absque dilectione locum habere potest. Cor. 13. v. 2. non in timore Dei, quia timor servilis non placet Deo, sed filialis, qui ex dilectione oritur 1. Joh. 4. v. 18. non in fiducia, quia legalis fiducia prærequirit dilectionem, & quidem perfectam, de Evangelica autem fiducia hoc loco non agitur, quippe quæ non pertinet ad legem, sed ad Evangelium; non in cultu externo, quia absque interiore dilectione non placet Deo externa obœdientia. Ubi verò interior dilectio locum habet, ibi quoque sponte sequitur cultus exterior, unde haud incongruè dicitur, non tantum interiorem amoris actum hic præcipi, sed & exteriorem, qui ab actu amoris proficiscitur; nec tantum actum, sed etiam dilectionis habitum, ut nihil in te sentias, quod amoris Dei adversetur, quodq; nolis ad ipsius amorem directum. Amor Dei non est simpliciter affectus, sed semper cum affectu conjunctus, amor Dei est actus, sicut & Deus actus est, ait Savanarola in Ps. 51. Ideo etiam in dilectione Dei statuitur maximum mandatum, quia per dilectionem nos ipsos, quicquid sumus & possumus, Deo damus. Ut corpus pondere, ita animus fertur amore, inquit August. lib. 11. de civ. Dei c. 28. Anima ibi magis est, ubi amat, quam ubi

animat: hunc ergo amoris affectum & actum sibi vindicare Deus voluit. Omnia, quæ Deo damus, vilia sunt respectu amoris, qui seipsum & totum hominem Deo consecrat. Ulterius, quia Deus dilectionem sui requirit, ostendit, præcepta ejus non tantum opus, sed omnium maximè cor requirere, nec impleri operibus sed dilectione, cum non manui tantum, non ori, sed cordi hoc mandato imperet. Rex terrenus contentus est obœdientia externâ, nihil aliud exigit quam opus externum: Deus v. cor respicit & dilectionem ex corde requirit. Denique quod Christus de maximo præcepto rogatus dilectionis tantum meminit, quæ cordis est affectus, non a. singula præcepta recenset, sicut Moses, eo ipso ostendit, se legem suam in cordibus hominum per Sp. S. scripturam Jer. 31. v. 33. ac suos non urgere & cogere præceptis, sed allicere beneficiis, quò haud inconcinne referri potest, quod Christus hoc præceptum non adducit ex Exodo vel Levit. sed ex Deut. h. e. ex secunda lege Moysi, quæ typum gerebat secundæ legis, h. e. doctrinæ Evangelicæ, quam Paulus vocat legem fidei Ro. 3. v. 27. quæ est lex dilectionis & amoris, cum verus lex fuerit lex timoris in servitute generans Gal. 4. vers. 24. ideo postquam Moses in Deut. præced. c. 5. enumerasset Decalogi præcepta in monte Sinai maxima cum solennitate promulgata, per quæ timor incullus fuerat Israelitis Ex. 19. v. 16. postmodum in c. 6. v. 5. subjungit præceptum dilectionis, innuens post legem veterem timoris successuram novam legem amoris *συνήκως* complectentem omnia & singula Decalogi præcepta, ex quo etiam maximum mandatum vocatur.

Tò dñm hujus præcepti complectitur causas impulsivas, quæ ad Dei dilectionem unumquemque nostrum promovere debent. Diliges Dominum Deum tuum, inquit Moses, hoc est, ideo eum diliges, quia est Dominus Deus tuus. Sed hæc brevitas latius explicanda est. Priore loco ponitur nomen *Jehovah*, quod est nomen essentia & Naturæ, significatur igitur, Deum amore dignum ex sua essentia & Natura, quia scilicet est summum Ens, summum bonum, α & ω , omnis boni principium & finis. Posteriore loco ponitur nomen *Elohim* cum affixo, quod propter beneficia in nos collata, & ipsius opera externa Deo tribuitur. Significatur igitur, Deum ideo amandum esse, quia multis in nos collatis beneficiis demonstravit se esse nostrum Deum, ut non tam à nobis amari, quam redamari jubeatur. Utraque consideratio tum *divinae excellentiæ*, tum *divinae beneficiæ*, infinita ferè amoris *ὀφειλή* & *ὀφειλόμενα*, sive incentiva nobis suppeditat. Ad considerationem *divinae excellentiæ* pertinet, quod Deus 1. est summum bonum. Quicquid appetitur & diligitur, illud sub ratione boni appetitur, si ergo Deus est summum bonum; utique super omnia est diligendum & appetendum. Si radium exiguum bonitatis divinae in aliqua creatura amas, & guttula hujus fontis tibi aridet, quomodo Solem ipsum & fontem perennem bonitatis non amabis? Quicquid bonitatis in creaturis est particulariter dispersum, illud totum & omne in Deo est unitum, vel potius Deus ipse est summum illud bonum. *Amo ergo unum illud bonum, in quo est omne bonum, & sufficit,* ait

Ans

Anshelmus in profolog. c. 25. 2. *Est summum Ens.* Summo Enti debetur id, quod in homine est summum, videlicet amor ex toto corde & ex tota anima. Qui infra se ac dignitatem suam aliquid amat, sibi ipsi injuriam facit, jam verò anima hominis est omnibus creaturis corporeis præstantior ac solo Deo inferior, ergo amore non adhæreat creaturis, sed summo Enti, Deo creatori. Demens esset, qui hominis vestigia humi extantia diligeret, ipsum verò hominem non diligeret. Quid aliud sunt creaturæ omnes quàm vestigia quædam, per quæ ad Deum ducimur, demens ergo est, qui vestigia Dei amat, Deum verò ipsum, qui vestigia impressit, non amat. 3. *Est a & ω principium & finis.* Ergo amor noster in ipso debet incipere, in ipso etiam desinere. Sicut motus cœli nobilissimus est, quia ad idem punctum, à quo cœpit, perpetuo redit: sic motus humani cordis nobilissimus est, quando redit ad suum principium, hoc est, ad Deum, per amorem. Naturale est unicuique rei, ut finem suum appetat, jam verò Deus est ultimus finis noster & sola beatitudo, ergo ad ipsum feratur totus noster appetitus. Deus est finis omnis nostri desiderii. Ergo in ipsum omne desiderium nostrum tendat. 4. *Est τὸ τὴν.* Sir. 43. v. 29. *Quid quæris extra illum? quid desideras præter illum? quid tibi placet sine illo? ipse fecit omnia, ipse habet omnia, ipse est omnia.* Quodcumque bonum cupis, quodcumque pulcrum quæris, quod delectabile desideras, totum in ipso invenies, inquit Bernhardus de miser. human. Sic in illo omnia, ut extra eum nihil, quid ergo extra illum quærimus? 5. *Est nostra vita.* Act. 17. v. 28. Ut anima est vita corporis, sic Deus est vita nostræ animæ. *Unaqueque res secundum id vivat, unde vivit. Unde vivit caro tua? de anima tua, nam illa separata caro moritur. Unde vivit anima tua? de Deo tuo. Unaqueque harum secundum vitam suam vivat. Caro sibi non est vita, sed anima carnis est vita. Anima sibi non est vita, sed Deus est anima vitæ; debet ergo secundum Deum vivere, eique, in quo vivit, amore adherere.* August. serm. 13. de verb. Apost. 6. *est fons totius bonitatis & perfectionis.* Ad illum igitur per amorem contendamus, ut ex hoc fonte animæ nostræ sitim restinguamus. 7. *Est quies animæ nostræ.* *Fecisti nos Domine ad te, & irrequietum est cor nostrum, nisi quiescat in te,* ait Augustin. lib. 1. confess. cap. 1. Anima nostra immortalis est & ad immortalitatem condita, non satiatur nisi Deo immortali & infinito bono Psal. 17. v. 15. Columba Noë non inveniebat requiem, nisi in arca, ex qua erat egressa Genes. 8. v. 10. Agar non inveniebat requiem, nisi in domo Abrahæ, ex qua profugerat Gen. 18. v. 9. filius prodigus non inveniebat requiem, nisi redeundo ad Patrem, à quo discesserat Luc. 15. vers. 18. sic cor nostrum nullibi in creaturis, sed in solo Deo requiem invenit. Ut avicula identidem effugata alium atque alium ramusculum, cui insideat, circumspicit, in nidulo autem suo requiem invenit: sic amatores creaturarum subinde novum quippiam, quo se oblectent, quærunt, solidam tamen quietem non inveniunt, nisi per amorem ad Deum se convertant, ut cum Davide dicere possint Ps. 84. v. 3. *Cor meum & caromea exultaverunt in Deo vivo.* 4. *Etenim avia invenit domum & curtur nidulum suum.* 8. *Est infinita*

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

potentia, sapientia, misericordia & justitia. Qui enim Jehovah nominat, quid aliud nominat, quàm infinitam potentiam, sapientiam, misericordiam & justitiam? At hæc omnia ad amorem Dei nos debent excitare. Quis enim non amat potentiam, sapientiam, misericordiam & justitiam? quia ergo hæc in Deo sunt summa & infinita, imò quia ipse est hæc omnia, ideo etiam in summo gradu à nobis diligendus. Ad considerationem *divinae beneficentiae* pertinet 1. *Divini erga nos amoris flamma.* Ut ignis non melius accenditur, quàm igne, sic amor non melius accenditur, quàm amore. Non potest ullius hominis amor erga nos esse ardentior, quàm Dei, qui est fons caritatis, imò ipsa caritas 1. Joh. 4. vers. 16. ergo & nos super omnia ipsum diligamus. Dilexit nos Deus, antequam essemus, quia ab aeterno nos dilexit Eph. 1. v. 6. æquum igitur est, ut cum modo sumus & vivimus, ipsum diligamus. *O anima,* inquit Aug. in manual. c. 31. *dilige illum, à quo tantum dilecta es; intende illi, qui intendit tibi; quare quærentem te; ama amatorem tuum, à quo amaris, cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui.* Solutus amor est, in quo creatura creatori suo aliquo modo respondere potest. Creavit te, redemit te, conservat te, &c. nihil horum ipsi rependere potes, diligentem autem vicissim diligere potes. 2. *Innumera Dei beneficia.* Illæ creaturæ debent Deo propinquiores esse per desiderium & amorem, quæ plura ab ipso acceperunt beneficia. Jam v. nulla creatura plura à Deo beneficia accepit quàm homo, utiq; ergo homo per desiderium & amorem debet Deo propinquior esse quàm omnes creaturæ. Qui beneficia in alium confert, eum ad amorem sibi obstringit, unde beneficia *suaves compedes* appellantur. Quotquot ergo beneficia Deus in nos contulit, totidem amoris vincula & compedes nobis injecit. Deus non solum in se bonus, sed etiam nobis bonus, qui est noster Deus, nobis benefaciens. Creavit nos, cum nihil essemus, misit Filium suum ac per eum nos redemit, cum in peccatum & mortem lapsi essemus. *Bis ergo nos ipsos Deo debemus, & quia ex nihilo nos fecit, & quia cum peccato inquinati essemus, nos refecit.* Fecit solo verbo, sed ad reficiendum opus fuit sudore labore, sanguine, &c. Bernh. in tr. de Deo diligendo. Si diligis te, qui destruxisti te, quomodo non diliges eum, qui redemit te? Si prior tantum nos dilexit, ut Filium suum, h. e. se ipsum nobis daret 1. Joh. 4. v. 19. quantum à nobis diligendum esset? Si Filius Dei per incarnationem voluit inseparabiliter humanæ Naturæ uniri, utique etiam anima nostra per amorem inseparabiliter debet illi copulari. *Uta est Deus noster, ita quoque est Dominus noster.* Quia ergo est Dominus noster, ideo eum diligamus, *hic enim Dominus vult servos non ob aliquam suam utilitatem, sed ob ipsorum servorum commoditatem & utilitatem,* ait Aug. in Ps. 123. 3. *Benignissima Dei promissa.* Deus propterea etiam dicitur *noster Deus*, quia promissit, quod sit futurus noster Deus, h. e. noster protector & remunerator, *merces nostra magna valde* Gen. 15. v. 1. hæc ipsius promissa sunt immotæ veritatis & tam certa, ac si ipso opere ea jam complevisset, utique ergo etiam ipsum hoc nomine debemus diligere. Anshel. de similit. c. 180. *Tantò eum amare*

T t

debe-

debemus plus nobis ipsis, quanto major ipse est, qui se pro nobis dedit & nobis seipsum daturus est.

Atque hæc sunt præcipuæ & principales causæ, quæ nos ad Dei amorem impellere debent, quæ mirandâ brevitate Moses complectitur, quando dicit: *Diliges Dominum Deum tuum*. Illis conjungi possunt etiam aliæ causæ impellentes, utpote

1. *Præcepti hujus qualitas*. Quid requirit à nobis Deus? amorem sui, qui est affectus suavissimus & Naturæ hominis maximè congruus. Non requirit, ut hecatombas ipsi offeras, à quo excusare te posses ob indigentiam; non requirit, ut filium tuum ipsi in sacrificium offeras Mich. 6. v. 7. a quo excusare te posses ob naturalem storgam, sed hoc duntaxat requirit, ut se diligas 2. *Cordis nostri proprietates*. Cor hominis adeò nobile est ac tenerum, ut non possit esse sine amore. Sicut ergo præstat arculas impleri auro quàm pulvere, sic præstat ut cordis arcula impleatur amore divino potius quàm terreno. Cor nostrum ita à Deo formatum est, ut superius sit latum, inferius v. angustum & cacuminatum, quo monemur, quod cor nostrum superius ad Deum amandum & capiendum debeat se dilatare, non a. inferius ad creaturas sese extendere. Anima enim infra condita est ad summum boni cognoscendum, cognitum amandum, amatum possidendum, amato in æternū fruendum. 3. *Amoris dignitas*. Primogenita in V. T. Deus sibi vendicabat, primogenitus ac principalis noster affectus amor est, hunc ergo Deo consecremus. *Anima carnis est in sanguine*, ideò Deo offerendus fuit sanguis Lev. 17. v. 11. Sanguis spiritualis animæ est amor, qui amor est animæ nostræ vita, illum ergo Deo debemus offerre. *Ut oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus: ita caritas omnibus virtutibus sublimior comprobatur* Aug. serm. 42. de temp. Summo a. & optimo debetur id, quod summum & optimum. In amore Dei nec tædium, nec satietas, nec pœnitentia locum habent. 4. *Amoris necessitas*. Nisi intus sit radix dilectionis, non possunt foris existere fructus boni operis. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice caritatis*, inquit Gregor. hom. 27. in Evang. Sine dilectione Dei nihil prodest omnium mysteriorum notitia 1. Corinth. 13. vers. 2. quanto minus mundi sapientia & externorum bonorum affluentia. Nullius unquam Deus erit possessio in vita æterna per fruitionem, nisi qui ipsius Dei possessio fuit in vita transitoria per dilectionem. Non placuerunt Deo sacrificia oblata in igne alieno, sic non placent Deo spiritualia bonorum operum sacrificia, quæ offeruntur ex ardore amoris proprii & non ex igne amoris divini. 5. *Amoris utilitas*. Vera quidem caritas mercenaria non est, hoc est, non querit mercedem, nec intuitu mercedis & proprii commodi diligit, interim tamen merces eam sequitur, nec est sine mercede, eademque amplissimâ. Amor enim Dei est via ad salutarem Dei agnitionem 1. Cor. 8. v. 3. *Quantò amplius Deum amas, tanto propius videbis, quem cernere capis*, ait Bernh. in med. devotifs. cap. 16. Amor Dei unit nos cum Deo, quia amans & res amata fiunt unum. *Amor habet vim uniendi*, ait Gerson de mont. contempl. cap. 10. *Si terram amas, terrenus es; si Deum divinus*. O beatum vinculum, per quod invincibili devincimur! Amor Dei est mater a-

moris reciproci, cum enim Deus sit ipsa caritas 1. Joh. 4. v. 16. ideò non potest non se amantem redamare. Amor Dei est fons omnis felicitatis, quia Deus diligens & dilectus beatos facit. Tantò nobis melius, quanto magis in illum imus, quo nihil melius. Imus autem non ambulando, sed amando. Qui terrena & transitoria amat, cum re amata transibit, qui Deum æternum amat, cum re amata permanet. Hæc omnia tamen ita sunt accipienda, primò ut intelligantur de amore Dei ex vera in Christum fide proficiscente; secundò ne amor statuatur meritum vel medium justificationis & salutis, sed fidei justificantis proprium effectum, ac verè credentium & piorum perpetuum adjunctum; tertio ut distinguatur inter notitiam literæ & spiritus, illa sine amore Dei locum habere potest, hæc verò minime; quartò ne amor, quo Deum complectimur, statuatur simpliciter prior amore Dei etiam generali 1. Joh. 4. v. 10. sed tantum secundum quid, respectu amoris specialis, quem vocant *amorem amicitia*, quæ de re alibi plenius.

Denique *ad omnes* amoris divini exprimitur, quando Deum jubemur diligere *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente & ex tota virtute*. Pontificii disputant, hæc *tria, cor, animam, mentem*, non esse anxie distinguenda, cum omnia unum & idem significant, ut patet ex Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 13. Barrad. lib. 8. Harm. cap. 20. Luca Brugenfi in cap. 22. Matth. nimirum ut eò facilius obtinere possint, præceptum hoc dilectionis à renatis in hac vita perfecte impleri posse. Nos libenter fatemur, ubicunque in Scriptura jubemur *Deum diligere ex toto corde*, ibi minorrem aliquam dilectionem præceptam intelligi, quàm ubi adjectis etiam reliquis membris *ex tota anima, ex tota mente & ex tota virtute Deum diligere* jubemur. Qui enim totum cor requirit, is intellectum, voluntatem & reliquas vires non excludit, sed simul complectitur, cum ex idiotismo Hebræo voce *cordis* intellectus, voluntas & affectus exprimantur: Interim tamen dubium nullum, singularis emphaseos & uberioris declarationis gratia etiam reliqua membra adjici, ut omnes cordis affectus, omnes animæ vires, omnes mentis cogitationes sancto Dei amori consecrari debere intelligamus. Quia enim omne quicquid in nobis est, ab ipso donatum obtinemus, ideò jure optimo omnia, quæ habemus, ipsius dilectioni & obsequio iterum impendere jubemur. *Cordis* nomine in Scripturis quandoque denotatur *intellectus* Exod. 28. v. 8. Deut. 29. v. 4. Ps. 90. v. 12. &c. sed quia Matth. 22. v. 37. Marc. 12. v. 30. Luc. 10. v. 27. cordi additur *διανοία*, quæ Marci 12. v. 33. exponitur per *σύνεσιν*, ideò cordis nomine hic rectius intelligitur affectus & appetitus rationalis, quem *voluntatem* vocamus, quo sensu hæc vox accipitur Deut. 4. v. 29. Jos. 22. v. 5. 1. Paral. 12. v. 36. &c. quia cordis est *ὄψις* & *ὄψις*, acut ex corde procedit vita, ita ex voluntate omnis operatio. *Anima* hoc loco significat vitam sensitivam, ac sensus sive appetitum sensitivum, cujus est *ἐπιθυμία*, in qua significatione vox animæ usurpatur Gen. 23. v. 8. c. 34. v. 3. Deut. 12. v. 20. &c. Et quia anima multis in locis pro vita accipitur. Exo. 4. v. 19. cap. 21. v. 23. Deut. 16. v. 6. &c. ideò

ideò ut *intensivè* accipitur pro appetitu sensitivo, ita *extensivè* pro vita hominis accipi potest. *Mentis* nomine exprimitur intellectus, το ἡγεμονικόν, ut manifestum est ex eo, quod *διάνοια* explicatur per σύνεσιν, τῆς ἰσχύος virtutis sive virium nomine generaliter intelliguntur omnes animæ & corporis vires, quas vocant δυνάμεις καὶ ἐνεργείας, sicut etiam LXX. Hebræum **יָד** reddiderunt per *דְּנָאָמַן*, ut non tam species aliqua potentiarum animæ hoc verbo addi, quam summus & intensissimus amoris gradus ex omnibus animæ facultatibus profluens significari videatur. Quando igitur lex exigit dilectionem *ex toto corde*, sensus est, quod voluntas toto impetu in Deum ferri, quodque omnes cordis affectus puri, sancti, & in solius Dei dilectionem directi esse debeant. Quando exigit dilectionem *ex tota anima*, sensus est, quod appetitus noster sensitivus Deo unice adhaerere debeat, quodque totam nostram vitam, non etiam partem aliquam vitæ Deo consecrare debeamus; quando exigit dilectionem *ex tota mente*, sensus est, quod omnes nostras cogitationes ad Dei amorem dirigere debeamus; quando exigit dilectionem *ex tota virtute*, sensus est, quod omnes animæ vires & omnia corporis membra intellectum, voluntatem, sensus interiores & exteriores, appetitum, sermonem, & quicquid habemus, quicquid possumus, ad Dei dilectionem & obedientiam ex dilectione promanantem dirigere debeamus, unde rectè dixit Bernh. in tractat. de Deo dilig. *Causa diligendi Deum, Deus est; modus, diligere sine modo.* Non enim sufficiens visum fuit legislatori requirere, ut se diligamus *ex corde*, *ex anima*, *ex mente*, *ex virtute*; sed addit *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*, *ex tota virtute* præstandum esse dilectionis debitum. Totum cor opponitur, tum *cordi diviso* seu dispersito, tum *cordi remisso* & languido. Quatenus opponitur *cordi diviso*, sensus est, quod nihil diligendum sit, nisi Deus ipse, vel certè quod Deo placeat. Qui Deum diligit, sed non *ex corde*, est hypocrita Pf. 78. v. 37. qui diligit Deum *ex corde*, sed non toto, aliud diligit, non Deum: dilectio enim Dei totum cor sibi vendicat nec capitur nisi toto corde. Qui aliquid, quod Deo displicet, unà cum Deo diligit, ac facit, partim quæ Deo placent partim quæ displicent, corde non toto sed diviso & in amorem alienum dispersito Deum diligit, ac proinde verè & sincerè non diligit Deum. 13. v. 31. 2. Reg. 10. v. 31. Quatenus opponitur *cordi languido* & remisso sensus est, quod te totum divinæ dilectioni consecrare debeas, quod nihil tibi æquè curæ cordique esse debeat, quàm ut Deum diligas, eique placere studeas, quod nihil tanti facere debeas quàm Dei amorem, ut non solum omnibus dilectionis objectis Deum unice præferas; sed etiam in modo dilectionis amorem Dei & studium Deo placendi omnibus rebus anteferas. Idem iudicium est de reliquis membris, si enim Deum *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*, *ex tota virtute* diligere debemus, utique mandatum dilectionis totum hominem cum omnibus animæ facultatibus & corporis membris requirit, quia cor, anima, mens, sunt præcipuæ partes hominis. Si Deum *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*, *ex tota virtute* diligere debemus, utique nihil magis aut

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

æquè secundum precium & æstimationem diligere debemus, sed solum Deum super omnia & propter seipsum; cetera v. omnia in Deo & propter Deum, vel quia Deus ea diligit, diligere debemus, parati jacturam omnium etiam ipsius vitæ potius pati, quàm admittere aliquid divinæ dilectioni contrarium. Diligere Deum debemus *ardenter*, quia ex toto corde; *constanter*, quia ex tota anima, *sapienter*, quia ex tota mente; *fortiter*, quia ex tota virtute. Diligere Deum debemus super omnia, per omnia, & omni tempore. *Super omnia*, nihil ei in amore præferendo vel exæquando, nihil cum ipso pari amoris gradu diligendo. Basil. in Pf. 44. *Hoc quod ex omni dicit, divisionem in alia non admittit. Quantum enim dilectionis in hac inferiora insumseris, tantum necesse sit, ut ei adimas, quod totum est. Super omnia, quia cum omnia sint Deo inferiora, omnia in amore nostro Deo postponere debemus. Homo super omnia, quæ habet, animam suam plus diligit Job. 2. v. 4. sed plus diligere oportet Deum, qui animam nobis dedit & est animæ nostræ anima. Diligendus Deus super omnem honorem, quia est summa gloria; super omnem scientiam, quia est summa sapientia; super omnem voluptatem, quia est summum gaudium; super omnem ornatum, quia est summa pulcritudo; super omnes homines, quia est summus noster amicus; super omnia, quia in ipso sunt omnia & ipse est τὸ πᾶν. Per omnia, ipsum propter seipsum & reliqua propter ipsum amando. Cum Deus nos amat, non nisi propter se nos amat, ergo & nos non diligamus Deum aliter nisi propter seipsum. Minus ipsum amat, qui cum ipso aliquid amat, quod non propter ipsum amat. Ansh. lib. de mensur. crucis. Qui Deum propter aliud amat, aliud potius quàm Deum amat. Contrà verò tunc veraciter creator amatur, si ipse, non aliud pro illo quod non est ipse, amatur. Aug. lib. 15. de civ. Dei cap. 22. *Omnitempore diligamus, ut amor in nobis nunquam extinguatur, nunquam interrumpatur, nunquam tepescat, nunquam decrescat. Amor Dei est ignis, quem Deus in altari semper arde re præcipiebat, ut in ara cordis nostri omnia desideria nostra, omnemque voluntatem igne amoris immolaremus. Dixit quidam Rabb. apud Hebræos. Quoniam hoc viscus (cor) est omnium primum in hominis formatione & postremum quod moritur, ideò his verbis, ex toto corde, innuitur, Deum esse diligendum continuè usque ad extremum vitæ momentum. Sicut in templo Salomonis omnia erant auro obducta, sic in templo cordis nostri omnia caritate semper debent esse ornata. Diligamus omni tempore, non solum in prosperis, sed etiam in adversis, patienter ex amore Dei ea toleranda. Amor Dei sit verus, operosus & fructuosus. Verus, ut procedat ex toto corde; operosus, ut procedat ex tota virtute; fructuosus, ut procedat ex tota anima. Amor Dei nunquam otiosus est, operatur enim magna, si verus est; si operari negligit, amor non est. Probatio dilectionis exhibitio est operis. Non habet locum vera Dei dilectio, ubi non est mandatorum eius observatio Joh. 14. vers. 21. Amor Dei sit fervidus, ut sit ex toto corde; circumspexus, ut sit ex tota mente; invictus, ut sit ex tota virtute. Debemus amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi**

T t 2

ab a-

Ab amore Dei avertamur. Bernh. ferm. 20. in Cant. col. 547. Qua jubemur Deum diligere *ex toto corde, ex tota anima & ex tota virtute*, ideo triplex totalitas dilectionis exigitur, utpote primò totalitas *objecti diligibilis*, ut totum Deum & quicquid ad ipsum pertinet, quicquid ad ipso nobis immittitur, quicquid etiam diligendum præcipit, diligamus; secundò modi *ex parte diligentis*, ut nostra erga Deum dilectio ex limido, puro & sincero totius cordis, quod affectuum sedes, fonte derivetur, ut toti juxta omnes animæ facultates, juxta omnia membra, juxta omnes animæ & corporis vires sincerissimè & impensissimè ipsum diligamus, adeò ut omnes cogitationes, omnis vita & intellectus in illum conferatur, à quo habemus omnia, quæ ipsi offerimus. Tertio *temporis*, ut perpetuò, incessanter, & indefinenter ipsum diligamus. Triplex etiam *dilectionis perfectio* in his verbis requiritur, utpote *essentialis* ex tota anima & omnibus viribus; *integralis* juxta omnia & singula mandata; & *accidentalitatis* omni tempore. Diligere Deum jubemur *ex corde, anima, mente & virtute*, ergo dilectio requiritur *vera & sincera*; diligere jubemur *ex toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute*, ergo dilectio requiritur *perfecta*. Diligere jubemur *ex toto corde*, hoc est, cum suavi affectu & delectatione; *ex tota anima & ex tota mente*, hoc est, cum summa mentis intentione & circumspectione; *ex tota virtute*, hoc est, summa omnium virium contentione, ut omnis noster appetitus in Deum feratur & in dilectione sit constans & immotus sine intermissione.

Ex quibus omnibus facile intelligitur, hoc mandatum de Deo diligendo, rectissimè à Christo vocari *primum & maximum mandatum*. Græcum enim *μεγαλη* Syrus & Latinus, respicientes sensum, rectè reddiderunt maximum. Primum est & maximum *1. Ratione objecti*, quia Deus, qui in hoc mandato diligi præcipitur, est per se maximum & est summum Ens, primum ac summum bonum. Ut enim mandatum de diligendo proximo vocatur secundum, adeoque inferius mandato de diligendo Deo, quia proximus, qui in eo diligendus præcipitur, est Deo inferior: sic mandatum de dilectione Dei rectè vocatur summum & primum, quia Deus omnibus rebus creatis longissimo intervallo supereminet. *2. Ratione debiti* sive obligationis, quia Deus illud præ cæteris mandatis omnium maximè ab homine requirit, ac custodia hujus præcepti Deo omnium est acceptissima. Quemadmodum Deus primum donat nobis amorem suum, antequam ullum donum nobis largiatur, & quicquid donat postea, ex amore donat: ita primum Deo à nobis dandus est ipse amor, per què nos ipsos Deo offeramus. Timor ex filiali amore non ex servili affectu proficisci debet, utique ergo primum & maximum præceptum est de Deo amando. Quin & ipsa lex Naturæ integrè dicitur, ante omnia hoc mandatum esse observandum.

3. Ratione materiae, quia requirit dilectionem Dei, quæ omnibus virtutibus est præstantior *1. Cor. 13. vers. 13.* Hieronymus in cap. 5. Gal. *Quæ alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum nisi caritas, sine qua virtutes cætera non reputantur esse virtutes, & ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt.* Solest caritas, reliquæ virtutes sunt stellæ: ut

Sol stellis, sic caritas fulgorem præstat virtutibus *August. ferm. 42. de temp.* Ut oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus, ita caritas omnibus virtutibus sublimior comprobatur. Bernh. fer. 27. in Cant. *Quantitas cujusque anime aestimatur de mensura caritatis, quam habet, ut quæ multum habet caritatis, magna sit; quæ parum, parva.* Majora sunt præcepta primæ tabulæ majora sunt, quæ cultum internum, quàm quæ externum præcipiunt; inter præcepta primæ tabulæ, quæ cultum internum respiciunt, majora sunt, quæ plus affectum, quàm intellectum perficiunt, ideo maximè requiritur dilectio, quæ vocatur *via excellentior*. *1. Cor. 12. v. 21. finis præcepti 1. Tim. 1. v. 5. & impletio legis Rom. 13. v. 8. inde etiam præceptum caritatis vocatur 10 μ. Θεωρίας lex regalis sive regia Jac. 2. v. 8. 4. Ratione amplitudinis*, quia requirit totum hominem, affectum scilicet cordis, animam, hoc est, omnes sensus; mentem, hoc est, judicium rationis, & omnes hominis vires. Requirit insuper totam hominis vitam. *5. Ratione capacitatis*, quia in mandato de dilectione Dei omnia mandata continentur, ut probat Thomas in cap. 22. Matth. Nemo verè diligit proximum, nisi qui diligit Deum, quia veram dilectionem proximi oportet proficisci ex amore Dei. Nemo perfectè Deum diligit, nisi qui omnia ejus mandata observat. Nemo etiam Deum diligit, nisi qui Deum verè agnoscit. Quò Deus cognoscitur clarius, eo diligitur ardentius. *Omne ergo mandatum de dilectione est, & omnia unum præceptum sunt, quia quicquid præcipitur, in sola caritate solidatur. Ut multi arboris rami ex una radice procedunt, sic multe virtutes ex una caritate generantur, neque habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice caritatis, ait Greg. hom. 27. in Evang. 6. Ratione difficultatis*, quia in hujus vitæ infirmitate mandatum de dilectione DEI nunquam plenè perficitur, tantum abest, ut plenè & perfectè præstetur. *7. Ratione finis*, quia omnia mandata ad illud tantum finem referuntur, & ad illud tantum ultimum scopum, qui in mente legislatoris primus est, unicè respiciunt *1. Tim. 1. v. 5. Aug. in Enchir. c. 121. Omnia præcepta divina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apostolus. Finis autem præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. Omnis itaque præcepti finis est caritas, id est ad caritatem refertur omne præceptum &c. Quæcumque ergo mandat Deus, tunc rectè sunt, cum referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum. Confectarium hujus assercionis, quod mandatum de Deo diligendo sit primum & maximum, illud est, quod transgressio hujus præcepti sit maximum peccatum. Simon de Cassia lib. 11. c. 33. Quia hoc est maximum mandatum, ideo absque maxima culpa supplicio maximo digna negligi non potest, quoniam quod maximè traditur observandum, prevaricator ejus maximè plectendus censetur. Pontificii aliud porissima ex eo eliciunt, videlicet justificationem nostram ex caritate magis, quam ex fide dependere. Cum enim mandatum de Deo diligendo sit maximum, ex eo colligunt, caritatem in præcepto præscriptam esse fide majorem, ac proinde etiam magis justificare. Sed breviter respondemus ex Apostolo Galat. 3. v. 21.*

verf. 21. Si data effet lex, que posset vivificare, verè ex lege effet iustitia, id est, si mandatum hoc maximum de Dei dilectione implere possemus, omnino ex illo iustificatio nostra dependeret: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus v. 22. quod impossibile est legi, eò quod infirmabatur per carnem, hoc præstitit Deus misso Filio suo Sc. Rom. 8, v. 3. Ergo propositio illa, maxima virtus maxime iustificat, legalis est, & tum demum locum habet, si mandatum hoc de diligendo Deo perfectè impletur, quod in huius vitæ infirmitate ipsis etiam renatis est advarior. Ecquis enim gloriari poterit, se Deum ex toto corde ita diligere, ut in amore nihil quicquam unquam ipsi præponat vel adæquet, ut ipsum solum diligit & si quid aliud diligit, id propter ipsum, sub ipso, in ipso, & juxta voluntatem ejus diligit? Ecquis gloriari poterit, se Deum diligere ex tota anima, ita ut maximo studio ea exequatur, quæ novit Deo grata esse & accepta, ut perfectò odio prosequatur omne id, quod novit Deo esse ingratum & adversum? Ecquis gloriari poterit se diligere Deum ex tota mente, ut ea semper cogitet, quæ nos ad ipsius dilectionem inflammare possint, ut in omnibus studiis & actionibus gloriam Dei sibi unice habeat propositam? Ecquis gloriari poterit se Deum diligere ex tota virtute, ut totis ipsi adhaerens viribus nullis minis vel blanditiis ab eo se divelli patiatur, ut omnes animæ vires, omnia corporis membra dilectioni Dei & mandatorum divinorum observationi inserviant. Quamdiu caro adhuc concupiscit adversus Spiritum Gal. 5, v. 17. & lex in membris repugnat legi mentis Ro. 7, v. 23. Deus non diligitur ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute, sed duntaxat ex parte, ideoque minus quam par est. Quicquid verò minus fit quam fieri debet, in vitio est. August. de Spiritu & litera c. 26. Fortasse quisquam putaverit, nihil nobis deesse ad cognitionem iustitiæ, quod Dominus verbum consummans & brevis super terram dixit, in duobus præceptis totam legem Prophetasque pendere, nec ea tacuit, sed verbis apertissimis promissit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tanquam teipsum. Quid verius his impletis impleri omnem omnino iustitiam? Veruntamen qui hoc attendit, etiam illud attendat, quam in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere vel non displicere quod facimus, & post ea per Scripturam ejus sive certâ & perspicuâ ratione coomoniti, cum didicerimus, quod ei non placeat, penitendo deprecamur, ut ignoscatur. Plena humana vita est documentis talibus. Unde autem minus novimus, quoad ei placeat, nisi quia & ipse minus notus est nobis? videmus enim nunc per speculû in enigmate. Ad illam vitam immortalem pertinet, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima & ex tota virtute tua. Ad hanc autem, non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis illius; ad illam, non concupiscas; ad istam, post concupiscentias tuas non eas in lib. de perfect. iustit. In plenitudine caritatis mirum in patria præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Nam cum est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænctur, non omnino ex tota anima diligitur Deus, tunc cum nulla lex erit in membris repugnans

Harm. Tom. II, vel Gerhard. Contm. pars prim.

legi mentis, ex toto corde diligemus Deum. Excipiunt Pontificii. 1. verbis illis ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute idem omnino significari, ac proinde non posse ex illis colligi, quod hoc præceptum nequeat in hac vita impleri. Resp. contrarium ex dictis veterum ac ipsius etiam Thomæ superius ostendimus. Sed si vel maxime ex hypothesi daremus, idem omnino verbis hisce significari, nondum tamen evictum foret, posse hoc mandatum perfectè impleri, quia enim renati vix dimidiatis viribus Deum diligendi pollent, eò quod veteri & novo homine, veteri & novo corde, verustis & noviter donatis viribus sese invicem opugnantes constant Rom. 8, vers. 14. Galat. 5, vers. 17. Ephes. 4, vers. 23. Col. 3, vers. 9. &c. ideo non possunt ex totis viribus Deum diligere. Victor Antiochenus in c. 12. Marc. Lex ista ejusdem verbi circa eandem materiam repetitione præ ceteris abundat. Facit hoc autem, quo hominem tanto Dei amore flagrare debere demonstrat, ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem irrepere sinat, quod erga Deum dilectionem excludat aut diminuat aut alio transferat. Sic ergo epitalis, vehementia & anxiositas illa tot verborum momenti inculcatur, ut ostendatur, neminem in hac vita ad perfectam illius mandati obœdientiam assurgere posse. 2. Præceptum hoc esse affirmativum, ideo id solum præcipi, ut exerceamus istas animæ potentias propter Deum, quando id necessitas gloriæ ejus procurande requireret; alio autem tempore si id fieret, opus esse consilii & supererogationis. Molanus de præct. Theol. tract. 3, cap. 16. concl. 1. num. 11. disputat, esse de honestate & non de necessitate, ut Deum super omnia diligamus. Quinimò Joh. Hesselius eò usque procedit, ut scribat, ex ipso præcepto dilectionis teneri hominem quandoque à cogitatione de Deo abstinere, ut miro modo ex amore Dei Deum non cogitet, Deumque amet, dum ab amando cessat. Resp. præceptum de diligendo Deo super omnia perpetuò nos obligat, cum nullo unquam tempore summi boni amore destitutos nos esse conveniat. Si vel minima in nobis oriatur cogitatio ac concupiscentia prava, quæ purissimo & sanctissimo illi amori adversetur, nondum perfectè præceptum hoc implemus. Si ex toto corde Deus diligendus, nullus debet esse cordis affectus, qui non in amorem Dei rapiatur. 3. Non præcipi extremum amoris gradum, quo Deus dignus est, nec mandari, ut continuo perpetuoque amoris actu & affectu feramur in Deum, contra omnem distractionem animi & cordis divulsionem, cum hoc non sit nisi beatorum, nec juberi, ut careamus concupiscentiâ carnis legi Dei rebellante, quod non est in potestate hominis mortalis, sed præcipi, ut pro conditione hominis mortalis, quoad ejus fieri potest, ab homine mortali Deum diligamus propter seipsum, si non semper actu, tamen habitu. Resp. qualis & quanta Dei dilectio ab homine requiratur, non æstimandum est ex viribus hominis post lapsum adhuc relictis, sed ex viribus in prima creatione ipsi datis, ita enim à Deo fuit conditus, ut careret concupiscentiâ carnis legi Dei rebellante, ut ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente & ex tota virtute Deum diligere posset. Per lapsum hominis nihil decessit juri divino, quò minus ab homine

T t 3

mine

mine requireret, quod in creatione ipsi datum. Proinde verba illa, *ex tota virtute*, non continent quandam *limitationem*, quasi tanta requiratur dilectio, quanta est homini in hac vita post lapsum possibilis, sed potius *extensionem & exaggerationem*, quod omnes animæ facultates vero & perfecto Dei amore flagrare debeant. 4. *Quamvis hoc præceptum in hac vita non possit perfecte impleri, non tamen facere prevaricatores, cum præcipiatur aliquid duobus modis, uno modo, ut solum indicetur id, quod faciendum est, alio modo ut indicetur præcepto id quod faciendum est & finis cuius gratia id faciendum est.* Præceptum autem proprie non obligare ad finem sed ad media. Illud alii sic effecerunt, præceptum diligendi Deum ex toto corde, esse doctrinale, non obligatorium. Item perfectum aliquid dici dupliciter: Primo quando nihil ille deest de perfectione possibili. Secundo quando nihil illi deest de perfectione ipsi debita & competente. Accipiendo perfectum primo modo, impleri mandatum dilectionis in patria quia mens ibi fertur in Deum totaliter & perfecte, quemadmodum ipsi possibile est, & sine aliqua interruptione. Accipiendo perfectum secundo modo, impletur in viâ, quando nihil diligitur contra Deum. Resp. omnis iussio & omnis prohibitio est obligatio. Quicquid ergo lex jubet, quicquid prohibet, per modum obligationis jubet ac prohibet. Lex ideo docet, ut quid faciendum fugiendumve sit, manifestet, ac proinde non contenta est nudâ *γωσι*, sed requirit etiam *περὶ*. Formale legis consistit in obligatione, cum suâ Naturâ sit quædam norma, mensura ac regula, quicquid ergo docet, ad illud etiam obligat. Nec solum ad media, sed etiam ad finem lex obligat, quocumque modo vox finis accipiatur. *Internus finis legis est perfecte ac omnibus numeris absoluta rectitudo, justitia & cum Deo archetypo conformitas.* Ad hunc interim finem omnino lex obligat, quia omnia legis mandata *ἀναρὰ Παλαιῶν* in mandato de dilectione. Ro. 13. v. 8. Si ad hunc internum finem lex non obligaret, nullo modo obligaret, cum omnia reliqua, ad quæ obligat, in hoc uno de caritate mandato comprehendantur. *Finis legis externus est consecutio vitæ æternæ, ad illam itidem lex obligat, ideo enim perfectam obædientiam ab homine requirit, ut per illam consequatur vitam æternam.* 5. *Dilectioni Dei in hoc præcepto homini præscripto non adversari peccata venialia ac motus involuntarios concupiscentiæ, cum nihilominus Deum possimus ex toto corde diligere, nihil illi in amore vel anteponendo vel æquando.* Resp. Prævæ concupiscentiæ, licet ad eas nondum accedat consensus vel delectatio, nihilominus repugnant dilectioni Dei, quia repugnant præcepto, *non concupisces*: omnium autem præceptorum summa est caritas. Ubicumque igitur in corde oriuntur pravi motus, nondum ex toto corde Deus diligitur. Proponitur in Decalogo forma ac norma illius dilectionis, quam homo in statu innocentie Deo præstitisset, illa sane talis fuisset, ut in omnibus animæ viribus ac potentiis purissima dilectionis flamma luxisset, nec ullo unquam tempore vel extincta vel incendiis pravorum affectuum obfuscata fuisset, hanc rectitudinem in Adamo toti humano generi concessam Deus jure adhuc à nobis omnibus requirit. 6. *De quibusdam Scripturam testari, quod mandatum dilectionis ex toto corde impleverint.* 1. Reg. 24. 2. Reg. 23. 2. Paral. 15. &c. Resp. phrasia illa ex

toto corde duplicem in Scripturis obtinet significationem. Primò exprimit *perfectam obædientiam* à lege requisitam, ut summo perfectionis gradu Deum diligamus, eidemque numeris & gradibus omnibus absolutam obædientiam nullo prævæ concupiscentiæ aut alterius peccati nævo maculatam præstemus. Secundo notat *sinceram ac devotam ex toto obædientiam*, qua ratione opponitur hypocrisis & externæ simulationi, quæ sic describitur Ps. 12. v. 3. *corde & corde locuti sunt.* 1. Paral. 12. v. 33. *parati erant ad pugnam absque corde & corde.* Quoties igitur renati ex toto corde Deum diligere & mandata ejus servare dicuntur, sensus est, quod Deum diligant non simulate, non hypocritice, sed verè & ex animo, corde integro & sincero, interim tamen summum perfectionis gradum se non assequi fateantur, quotiescunque peccata sua agnoscent, eorumque remissionem fide quærunt, cumque ex parte adhuc *carnales* sint, ideo pravis concupiscentiæ motibus illa Dei dilectio & mandatorum divinatorum obædientia sæpissime contaminatur. Dereliquis argumentis & exceptionibus Pontificiorum, quibus probare conantur, posse hoc præceptum dilectionis divini in hac vita impleri, suo egimus loco.

Huic primo & maximo de dilectione Dei mandato, subjungit Christus alterum de dilectione proximi, quod extat Lev. 19. v. 18. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Christus tantum de primo & maximo mandato erat interrogatus, sed in responsione non solum primum & maximum recenset mandatum, sed etiam maximo & primo proximum. quia dilectio Dei & proximi indivulso nexu coherent, ac proinde etiam mandatum de dilectione proximi cum mandato de dilectione Dei nexu indissolubili est conjunctum. Qui Deum verè & ex animo diligit, is etiam proximum diligit, quia dilectionem proximi Deus præcepit, jam vero qui Deum verè & ex animo diligit, is mandata ejus observat. Joh. 15. v. 10. & vicissim, *si quis dixerit se diligere Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* 1. Joh. 4. v. 20. 2. Quia voluit totam & universam doctrinam de maximis mandatis absolvere, ideo non contentus fuit recitatione mandati de diligendo Deo, sed etiam addidit mandatum de diligendo proximo, ne quis sibi persuaderet, se Deum diligere & hac ratione maximum legis mandatum implere, etiamsi non diligeret proximum. 3. Voluit etiam hypocrisis Phariseorum tacite perstringere, qui singularè & ardentissimam Dei dilectionem præ se ferebant, interim in dilectione proximi erant segnes ac remissi imò planè frigidi, ut apparet ex Matt. 15, 5 & 6. Marc. 7, 11. & 12. Luc. 18. v. 10. quinimò hanc ipsam questionem Christo proponebant odio & invidia adversus Christum concitati, sicque præceptum de dilectione proximi horribiliter transgrediebantur. 4. Denique voluit nobis monstrare, ubi Deum diligendum quærere debeamus, videlicet sub necessitate proximi. Hypocritæ Deum diligendum in sublimi quærunt, sub proximi cruce eum non quærunt. Hoc præceptum de dilectione proximi Christus vocat primò *δεύτερον*, secundum sive alterum, non ordine legislationis aut Scripturæ, qui præceptum hoc de dilectione proximi prius occurrit in libris Moysis, quam

quàm præceptum de dilectione Dei, cum illud extet in Levitico, hoc verò in Deuteronomio: sed 1. *Ordine dignitatis*. Ut enim Deus prior & præstantior est proximo; ita mandatum de dilectione Dei est prius & præstantius mandato de dilectione proximi, ac dilectio Dei præstantior est dilectione proximi. 2. *Ordine Naturæ*, quia Deum primò diligimus, postea etiam proximum, quippe quem propter Deum & divinum mandatum diligimus. Quod 1. Joh. 4. v. 20. statui videtur, dilectionem proximi esse ordine Naturæ priorē dilectione Dei, id accipiendum partim respectu habito ad Naturam corruptam & destitutam potius, quàm institutam, partim respectu manifestationis, quod ex absentia dilectionis erga proximum rectè colligatur absentia dilectionis divinæ. 3. *Quantitate*, quia Deum plus diligimus ac diligere debemus, quàm proximum, siquidem Deum diligere debemus *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente & ex tota virtute*, proximum verò *ut nos ipsos*. Apud Marc. est *deutero* *ὅμοια ἀντι* secundum est hoc, sed Syrus & Latin. interpretes legerunt *anti*, illi, quo modo non solum legitur apud Matthæum, sed etiam in quibusdam Græcis Codicibus apud Marcum, sed res eodem redit. Secundò *ὅμοιον ἰσὺ πρῶτον* simile primo. Non vocat *equale*, quia ratione dignitatis primo est inferius, unde dilectio proximi cedit dilectioni Dei, sed *simile* & quidem multis modis, utpote. 1. *Causâ efficiente*. Deus utriusq; præcepti autor. Qui præcepit, *diliges Deum ex toto corde*, idem etiam præcepit, *diliges proximum tuum sicut teipsum*. 2. *Materia*. Utrumque requirit dilectionem. Thom. in opusc. de dilect. & proximi cap. 2. *Mandatum hoc est simile primo*. Nam idem est actus in specie, qui utrobique præcipitur, sc. dilectio; idem numero actus caritatis, a quo uterque actus dicitur. Stapulensis in cap. 22. *Ut primum de amore est, ita & hoc de amore*. Primum de veritate, secundum de imagine. 3. *Formâ* sive qualitate. Utrobique enim præcipitur affectus dilectionis verus, sincerus & perfectus, utrobique talis requiritur dilectio, quæ sit *ἀνταρθεσίως* ac Deo grata, utrobique requiritur interior ac spiritualis obœdientia. 4. *Universalitate*. Mandatum de dilectione proximi est *ὁμοία ἐν ὅλῃ*, i. e. *ὁμοίως γενική καὶ καθολική* & *μεγάλη καὶ ὁμοίως ἐπιταχθεῖσα*, dicunt Græci Interpretes. Ut enim mandatum de dilectione Dei est generale, & multa sub se complectitur: ita quoque hoc mandatum de dilectione proximi itidem generale est & multa sub se continet, videlicet omnia mandata, quæ de officiis proximo debitæ agunt. Rom. 13. v. 8. In Beresith Rabba vocatur hoc mandatum *כלל גורל*. *Universale magnum*. In comm. super lib. Aboth. cap. 3. *Diliges proximum tuum ut teipsum, universale est totius legis, quemadmodum invenitur in tractatu de Sabbato, de Hillele, qui docebat totam legem per universale unum, dilige proximum tuum sicut teipsum*. Aut. lib. Mufar. cap. 18. *Gentilis quidam venit coram Sammat sene, dixit ei: Fac me profelytum ea conditione ut me doceas legem per pedem sine universale unum. Respondit eum regula adifici, que in manu ejus. Venit coram Hillele sene, qui eum fecit profelytum, nam docebat eum legem per pedem sive universale unum, diliges proximum tuum sicut teipsum*. Ut omnes homines obligantur ad dilectionem Dei, ita omnes obligantur ad dilectionem proximi. 5. *Fine*. Ut omnia pri-

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

ma tabulæ mandata respiciunt dilectionem Dei tanquam scopum & finem: sic omnia secundæ tabulæ mandata respiciunt dilectionem proximi tanquam scopum & finem, interim tamen dilectio proximi ad Deum tanquam ultimum finem & τέλος *σκοπιμῶς* refertur. Thomas d. l. *Unus idemq; finis est, in quem utroq; dilectionis actus dirigitur sc. Deus, quia propter Deum & Deus & proximus diligitur*. Omnia opera ad hunc finem referenda sunt, ut Deus agnoscat, colatur, celebretur, ac fiunt cultus Dei, cum præstantur prælucente agnitione & fiducia Mediatoris. 6. *Tempore* sive duratione. Hæc duo mandata semper durant, etiam in vita æterna, nunquam sic implentur, ut deinceps obligare desinant. 7. *Certitudine*. Quàm certum est opera primæ tabulæ à Deo esse mandata, tam certum est opera secundæ tabulæ esse divina auctoritate sancita. 8. *Necessitate*. Ut necesse est agentes immediate cum Deo habere noticiam Dei, & affectus, qui hanc noticiam cõmittantur, confessionem, invocationem & alia opera in prima tabula præscripta: sic non minùs necessaria sunt opera secundæ tabulæ &c. 9. *Difficultate*. Ut Deum super omnia diligere est difficillimū, ita quoque proximum sicut seipsum diligere non minore cum difficultate conjunctum, imò in hujus vitæ infirmitate utriusque mandati plena & perfecta completio est impossibilis. 10. *Cohærentia*. Si quis enim Deum diligit, is etiam proximum diligit, necesse est, quàm rationem *ὁμοίότητι* & urget Theophyl. in h. l. Chrysoftom. hom. 34. ad Antioch. *Cum Dei charitate simul intrat & in proximum dilectio*. Nam qui Deum diligit, fratrem non despiciet, non præponet pecunias, sed multum præferet largiatem, memor ejus qui dixit. *Quod fecistis uni ex minimis, mihi fecistis*. R. Manahem. f. 147. col. 4. *Qui amat socium suum, qui factus ad Dei imaginem, amat Deum & honorat eum*. 11. *Consequente*: quia utriusque mandati transgressio cum reatu æternæ maledictionis est conjuncta, cum utrique eadem maledictionis comminatio sit annexa.

Ipsum verò mandatum primo & maximo simile habet: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. In eo itidem ut in maximo de Deo diligendo mandato tria exprimuntur, videlicet 1. *Τὸ ὄν*. 2. *Τὸ διότι*. 3. *Τὸ πῶς*, ὅτι in eo consistit, quod diligendus sit proximus, circa quod considerandum, quid dilectionis, quidve proximi nomine intelligatur. Diligendi affectum Moses Lev. 19. vers. 18. exprimit verbo *אהב* cum *ל* quæ est nota Dativi, quod significat dilectionem erga aliquem exercuit, ac opponitur verbo *שנא* in vers. 17. quod significat odio habuit, contempsit, neglexit, qualis oppositio etiam occurrit. 2. Sam. 13. v. 14. Eccles. 3. v. 8. &c. LXX. ut plurimum reddiderunt per *ἀγαπῶ*, interdum etiam sed rarius per *φιλέω*; quidam scripserunt *ἀγαπῶ* minus esse quàm *φιλέω*, ac diligere minus esse quàm amare, quidam contra statuerunt *ἀγαπῶ* plus esse quàm *φιλέω*. Sed exempla testantur, differentiam illâ non esse perpetuam. Syrus reddidit per *אהב* quod vehementem amoris affectum, qualis solet esse matrum erga liberos, propriè significat. Philosph. 2. Rhet. *Ὁ φιλέω* sic describit, quod sit *τὸ βέλεια τῆν ἀόισιν ἀγαπῶ μὴ ἐαυτὸς ἐνεκα καὶ τὸ χεῖρ δυνάμιν περὶ κτικὸν εἶναι τῶτων*, velle alicui, quæ putes bona

Tt 4

bona, non sui ipsius gratia, & pro viribus etiam ea, quæ volueris illi præstare, quæ explicatio ostendit, voce dilectionis non tantum interiorem amoris actum, verum etiam exteriorem ejus effectum præcipi, ut benevoluntatem illum affectum, quibus possumus modis, erga proximum declarem. Ex Scripturis sacris colligitur. 1. Hoc præceptum esse non solum affirmativum, sed etiam negativum. Antequam enim Moses hanc dilectionis legem recitat præponit: *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo, ne ulciscaris te.* Ergo præceptum dilectionis excludit odium erga fratrem, & omnem propriæ vindictæ cupiditatem. 2. Quia affectus amoris profluit ex rei æstimatione & precio, quando sc. rem aliquam magni æstimamus & in magno habemus precio, sicut contra odium ex contemptu originem trahit, ex eo intelligitur, mandato dilectionis requiri, ut proximum in precio habeamus, dona Dei in ipso veneremur, nequaquam verò in corde nostro eum contemnamus. 3. Deus non dicit, beneficias proximo, sed *diliges proximum tuum.* Quamvis enim beneficentia itidem requiratur in hoc dilectionis mandato, videl. ut proximo quibus possumus modis, inserviamus, eique grata officia præstemus; tamen sapientiæ legislatoris placuit, internum potius amoris affectum, quàm exteriorem beneficentiæ actum in hoc mandato exprimere, tum quia ubi interior dilectionis actus sincerè in corde viget, sponte sequetur exterior beneficentia, tum quia potest aliquis proximo benefacere, etiamsi eum nõ diligit, ut testantur exempla hypocritarum 1. Cor. 13. v. 3. quâ ratione nondum satis sit dilectionis mandato, tum quia interdum deficit benefaciendi facultas, ubi sufficit promta voluntas ex dilectionis affectu promanans, ut hac ratione etiam pauperrimi huic dilectionis mandato obsequium præstare possint. Pulcre August. conc. 1. in Ps. 107. *Caritas non de sacculo erogatur, sed ex corde præcipit & voluntate, in qua sedem habet, si non habet sacculus quod donet, habet cor & voluntas.* Greg. hom. 5. in Evang. *Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate.* 4. Deus non dicit; Ne odio habeas proximum, sed *diligas proximum tuum.* Non enim sufficit, non odisse, sed requiritur insuper ut diligas, illud negativum est, hoc verò positivum actum exprimit. Quando à proximo offensus sumus, solet vetus noster homo dicere, non vero inimicitiam aut odium in corde, sed per hoc nondum satis sit dilectionis mandato; requiritur insuper, ut etiam diligas eum, à quo offensus es. Matt. 5. v. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* 5. Quamvis in hoc mandato usurpetur verbum dilectionis, internum cordis affectum propriè & principaliter denotans, tamen connotantur etiam externa illius interioris affectus indicia atque effecta, videl. ne famæ proximi detrahamus, sed de ipso honestè sentiamus & loquamur, ne ipsum injuria afficiamus, sed grata officia & obsequia pro virili ipsi præstemus, qualis explicatio hujus præcepti in Scripturis passim traditur. 1. Johan. 3. vers. 18. *Non diligamus verbo, sed opere & veritate.* 6. Quamvis Cajetanus in c. 6. Deut. & in c. 22. Matth. disputet, mandatum hoc non debere intelligi de dilectione ex caritate cordibus infusa, cum præsupponat dilectionem propriam, quæ

potest impleri sine caritate, ut patet apud servantes præcepta omnia secunda tabula sine caritate, tamen hanc opinionem ut Pelagianam rectè improbant quidam ex ipsis Pontificiis Ambrosii Catharini lib. 2. contra Cajet. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. sanctæ annot. 101. Salmeron. tom. 8. p. 483. Quod si enim præceptum de dilectione proximi impleri posset sine caritate, & sine Dei gratia solis Naturæ viribus, consequens foret, etiam præceptum de dilectione Dei impleri posse sine caritate & sine Dei gratia solis Naturæ viribus, quod consequens quamvis Cajetan. concedat, tamen repugnat toti Scripturæ. Quomodo enim posset Natura humana per peccatum miserè corrupta & depravata hunc dilectionis actum, quo Deus super omnia diligitur, suis viribus elicere, cum sit ad seipsam conversa? Quo sine Filio Dei in carnem venisset & pro nobis legi obœdientiam præstitisset, si homo ex naturalibus suis viribus mandatum de diligendo Deo & proximo implere posset? Quomodo hoc esset maximum mandatum, si præciperet dilectionem sine caritate, cum dilectio ex caritate sit major & perfectior, quàm ea quæ sine caritate præstatur? Quomodo præmitteretur mandato dilectionis *circumciso cordis*, per quam gratia Spiritus sancti & interior regeneratio & renovatio ad dilectionem Dei in hoc præcepto præscriptam necessaria intelligitur, Deut. 30. v. 6. si ex solis Naturæ viribus Deum super omnia & proximum sicut nos ipsos diligere possemus? Argumentum Cajetani, quo Pelagianum suum dogma probat, nititur falsâ hypothesi, non enim præcipitur dilectio proximi, sicut de facto diligimus nos ipsos, sed sicut *rationabiliter* debemus nos diligere, sicut non debemus proximo præstare, quæcunque absolute & simpliciter nobis præstari cupimus, sed quæ *rationabiliter* honestè & justè nobis præstari cupimus.

Nomine proximi, quem diligere jubemur, Hilarius can. 23. in Matth. intelligit Christum. Cum enim dixisset, mandatum de dilectione proximi esse simile mandato de dilectione Dei, ἀλλοιοζωτος subjungit. Neque enim aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo potest utilis esse dilectio. Alterum igitur sine altero nullum ad salutem nostram asserti profectum. Et ideo in his duobus mandatis tota lex pendet & Propheta. Quia lex & Prophetia omnis Christi deputabatur adventui, & adventus ejus per supplementum eorum cognoscendi Dei intelligentiam præstabat. Nam de proximo frequenter admonemur, non alium intelligendum esse quàm Christum. Cum enim patrem, matrem, filios, charitati Dei præponere inibeamur, quomodo dilectio proximi diligendi Dei simile mandatam est? aut relinquatur aliquid, quod amoris Dei possit æquari, nisi quia similitudo præcepti patrem charitatem diligendi patrem & filium exigebat? Sed huic argumento facile occurri potest ex dictis, videlicet quod Christus mandatum de dilectione proximi non dicat æquale primo, sed tantum simile in certis quibusdam respectibus. Thomas in catena aurea citat Origenem, quod itidem per proximum intelligat Christum. Sed quia non apud Origenem, sed apud Hilarium ea extant, quæ à Thoma allegantur, ideo vel ἀμάρτημα μηνονευτικόν vel (Φάρμα γεραιον hic agnoscendum. Aut oper. imperf. hom. 42. in Matth. eod. modo explicat. Considera (inquit)

missi-

mysterium. *Quis est proximus noster? Christus, qui suscipiens carnem nostram factus est proximus nobis, sicut in parabola illa Christus ostendit, cum interrogat Pharisaeos. Et quis est meus proximus? introducit hominem vulneratum à lacronibus & à Sacerdotibus despectum, à Samaritanis autem receptum, qui est ipse Christus. Ergo primum mandatum est magnum, Deum Patrem diligere: secundum autem & simile est, Dei filium diligere, id est, cognoscere: ergo filius Dei magnus est, sicut Pater. Quicquid enim Pater potest, & Filius potest. Pater enim diligit filium & omnia dedit in manu ejus. Sed quia omnia Filius dante Patre potest, sicut Pater, ideo Pater magnus Deus & primus. Filii autem magnus Deus quidem, non tamen primus. Sed hic locus merito accensetur illis, ex quibus Arianæ hæreseos suspicionem autor imperfecti operis incurrit. Quamvis enim Pater sit prima persona Trinitatis, non tamen est primus Deus, cum in Trinitate nihil sit prius, nihil posterius, ut Athanasius in Symbolo rectè loquitur: & quamvis à Patre Filius omnia per æternam generationem habeat, non tamen propterea est Patre minor vel inferior, quia unam numero essentiam per æternam generationem Pater Filio communicavit. Merito igitur autor imperfecti operis hanc explanationem deserit, subjungens. *Simpliciter intelligamus proximum nostrum omnem hominem esse fidelem, qui hominem amat fidelem, simile est, sicut qui amat Deum, quia imago Dei est homo: quamvis etiam hæc expositio sit imperfecta, cum proximi nomine non solum homo fidelis, sed etiam infidelis intelligatur, ut postea monebitur. In parabola de Samaritano egregia explicatio continetur quaestionis, quis proximi nomine intelligendus sit, sed Samaritanus speculum exhibet diligentis, vulneratus proximi diligendi. Augustin. lib. 1. de doctr. Christi cap. 30. ac Thomas in cap. 22. Matth. sub nomine proximi etiam Angelos comprehendi docent, videlicet sanctos, non autem malos, ut nec homines damnatos, quod suo loco relinquimus, interim ex omnibus & singulis secundæ tabulæ præceptis, quæ ad hoc mandatum de dilectione proximi referuntur, intelligi potest, proximi nomine propriè & principaliter homines esse intelligendos. Idem Augustin. lib. 1. de doctr. Christi. cap. 23. de hoc præcepto sic disserit. *Cum quatuor sint diligenda. Unum quod supra nos est, id est, Deus; alterum quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est, id est, proximus; quartum quod infra nos est, id est, corpus; de secundo & quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, manet illi dilectio sui & dilectio corporis sui. Sed non est in hoc præcepto prætermissa ordinata dilectio hominis erga seipsum. Cum enim dicitur, diliges proximum tuum sicut teipsum, de teipso etiam diligendo præceptum dari intelligitur. Si enim diligere debes proximum sicut teipsum, utique etiam teipsum diligere debes. Ut enim ex quinto præcepto, non occides, rectè colligit Augustin. lib. 1. de civ. Dei cap. 20. quod nemo debeat seipsum occidere. Non occides alterum, ergo nec te. Nec enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit: ita ex præcepto, diliges proximum tuum sicut teipsum, rectè colligitur, quod seipsum diligere homo jubetur. Judæi præceptum hoc de dilectione proximi sic explicabant, vel potius***

depravabant, quod proximi nomine tantum amicus ac benefactor intelligatur, unde adjiciebant hanc antithesin, odio autem habebis inimicum, ut colligitur ex Matth. 5. vers. 43. Photiniani disputant, in lege Mosaica odium inimici fuisse permissum, sed à Christo in Nov. Testam. hoc esse prohibitum, atque hac in parte legem Christi esse perfectiorem lege Mosaicâ. Sed verba illa, odio habebis inimicum tuum, nusquam extant in lege Mosaica, sed potius contrarium, ut postea demonstrabim, ac proinde doctrina Christi de diligendis etiam inimicis non est opposita legi divinæ, sed Pharisæicis divinæ legis corruptelis, ut suo loco multis fuit comprobatum. Proximi ergo nomine intelligitur quisvis homo alius, etiam vilis, etiam incognitus, etiam inimicus, sicut August. Epist. 52. ad Macedon. rectè explicat. *Proximus, (inquit) hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. Nam si pecunie ratio socios facit, quanto magis ratio Naturæ non negociandi sed nascendi lege communis; cum quo congruit illud Justini in Dial. cum Tryphone. *ὁ πλησιον ὁ ἀνθρώπου ἐστὶν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὁμοιωπαθὲς καὶ λογικὸν ζῷον ἀνθρώπου.* Probamus hanc interpretationem 1. Ex ipsis verbis legis Mosaicæ. *Diliges socium tuum, proximum tuum, &c. *רעך* propriè significat eum, qui simul cum aliquo pascitur & educatur, à rad. *רע* pavit, & quia illis, qui simul pascuntur & educantur, quædam societas ac proximitas intercedit, ideo in genere usurpatur pro socio & proximo. Dixerat Moses v. 17. *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo, ne quis igitur existimaret, de eo tantum, qui fraterna sanguinis propinquitate nobis conjunctus est, præceptum dilectionis intelligendum esse, ideo alia voce utitur, diliges proximum tuum i. e. omnem omnino hominem, qui tibi quacunq; ratione propinquus est. Homo homini propinquus est sanguine, religione, felicitate, gente, Naturâ. Quod si vel maximè prioris propinquitatis species cum quibusdam hominibus nos non jungant, tamen posterior & ultima propinquitatis species, quæ ex Naturâ communionem oritur, cum omnib; omnino hominib; nos conjungit. Targum reddidit per *רעך* quod quemvis socium quacunq; ratione alicui conjunctum significat. LXX. reddiderunt per *πλησιον ἀπέλας*, quod quemlibet propinquum, adeoque quemvis hominem significat, in qua significatione etiam apud Aristot. & Æschynem contra Ctesiphont. accipitur. Syrus vertit per *רעך* quod itidem generale est & quemvis propinquum significat. 2. Ex par. alleis V. Test. locis. Moses & Prophetæ mandatum de diligendo proximo sic explicant, quod non solum amicus & cognatus, sed etiam inimicus & hostis sit diligendus Ex. 23. 4. *Cum occurreris bovi inimicantis tibi vel asino ejus erranti, reducendo reduces eum illi. vers. 5. Cum asinum videris odientis te cubantem sub onere suo non desines auxiliari ei. (Interrogationem enim ibi negationis vim obtinere apparet ex v. præc. & ex Chaldaica paraphrasi, quæ locum illum sic reddidit. Cave derelinquas eum: relinquendo relinquis id, quod habes in corde tuo contra eum & solvas cum eo. Confer Deut. 22. v. 1. & seqq.) Lev. 19. v. 17. Non oderis fratrem in corde tuo (à quosc. læsus es) v. 18. non ulcisceris te nec servabis odium cum filiis populi tui. Vulg. reddi-****

reddidit, non eris memor injuriæ civium tuorum. Prov. 25. vers. 21. Si esurierit odio habens te, ciba illum pane, & sifitiverit, propina ei aquam. v. 22. quia prunas accipis super caput ejus & Dominus reddet tibi. 3. Ex declaratione hujus legis tradita in Nov. Testam. Christus passim disputat contra Pharisaicam illam legis corruptelam, qua proximi diligendi nomine duntaxat amicus & benefactor intelligitur, ita ut inimicum odio habere licitum statuatur. Matth. 5. vers. 44. & 46. Luc. 6. v. 27. 28. 32. 33. 35. Rom. 12. v. 20. &c. cum primis verò evidens explicatio hujus quaestionis, quis sit proximi loco habendus, traditur a Christo Luc. 10. v. 30. & seqq. Samaritanus enim legem de diligendo proximo sic intelligit, quod ea obstrictus sit ad diligendum vulneratum, qui in latrones inciderat, à quo tamen nullo erat beneficio affectus, qui erat Judæus, id est, hostis Samaritanorum, Luc. 9. v. 53. Joh. 8. v. 48. qui erat peregrinus nulla sanguinis vel patriæ vel gentis propinquitate ipsi conjunctus, de quo nondum conitabat, an grato animo hoc beneficium esset agnitus ac remuneraturus, &c. 4. Id ipsum, videlicet, quod proximi nomine quisvis homo intelligendus sit, eleganter probat August. argumento ex ipsa lege ducto lib. 1. de doctr. Christ. c. 30. *Quisquis, inquit, arbitratur non de omni homine Apostolum (repetentem legem Mosaicam de dilectione proximi) præcepisse, cogetur fateri, quod absurdissimum & sceleratissimum est, visum fuisse Apostolo, non esse peccatum, si quis aut non Christiani aut inimici adulteraverit uxorem aut eum occiderit, aut ejus rem cupierit. Quod si dementis est dicere, manifestum est, omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum. Idem in lib. de vera religione, colligit ex verbis sicut te ipsum. Inhumanum est, inquit, non amare in homine quod homo est, sed amare quod filius est, quod cognatus, hoc est enim non amare illud in eo, quod ad Deum pertinet, sed amare illud, quod ad se pertinet, &c. Diligat homo proximum tanquam se ipsum. Certe enim sibi ipse nemo est pater, nemo est filius aut affinis, aut aliquid hujusmodi, sed tantum homo. Qui ergo diligit aliquem tanquam se ipsum, hoc in eo diligere debet, quod sibi ipse est. 5. Idem agnoscunt saniores ex ipsis Rabbiniis. Memorat enim Fagius in not. ad paraph. Chald. Lev. 19. v. 18. Hebræos hoc præceptum ita explicare. Diligas proximum tuum sicut te ipsum, qui scilicet est proximus tuus in lege. Etique hæc regula magna sive summa legis, docens, quod non debet esse discrimen & divisio inter virum & proximum suum, imo quisvis debet ad judicari lanci innocentie, ideoq; addit, ego sum Dominus. Sicut enim ego sum Dominus unus, sic quoque decet, ut vos sitis gens una indivisa. Alii proximum sic definiunt. Proximus dicitur is, cum quo aliquis habet rationem dati & accepti, hoc est, cum quo negotium habet, quocumq; modo id fiat. Ex quibus omnibus manifestum evadit, proximi nomine intelligendum esse quemvis hominem, sive sit notus sive ignotus, sive civis, sive peregrinus, sive amicus, sive inimicus, &c.*

Antequam verò ad τὸ δῶν hujus præcepti transeamus, occurrendum est dubitationi, quomodo jubeamur proximum diligere, cum Deum ex toto corde diligere simus jussi? Si enim totum cor nostrum divine dilectioni debetur, nulla vel cordis vel amoris par-

ticula proximo erit relicta. Respondemus verò, dilectionem proximi non esse ἀποσεgregationῆν dilectionis divinæ, sed potius Συμπαθητικῆν. Qui verè & juxta legis præscriptum proximum diligit, non propterea à Dei dilectione discedit, sed potius mandato de diligendo Deo sese conformem exhibet, quia dilectio Dei hoc ipsum requirit, ut diligatur id, quod Deus diligi præcipit. Qui rivulum fontis diligit, fontem etiam diligit, qui fructus arboris, etiam ipsam arborem diligit. Sicut in imagine sua Rex honoratur vel contemnitur, sic & Deus in homine vel diligitur vel odio habetur. Non potest hominem odisse, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit. Si fratrem, quem vides, non diligis, Deum, quem non vides, quomodo potes diligere? Quis enim honorat Regem, qui contemnit imaginem ejus? aut quis honorat imaginem & contemnit autorem imaginis? ait autor imperf. operis homil. 42. in Matth. Nimirum cor nostrum non est ita dividendum, ut ex parte duntaxat Deum diligit, sed ex toto corde Deum diligere debemus. Hæc autem dilectio Dei affert secum tanquam individuum fructum dilectionem proximi. Nec hæc duæ dilectiones secum pugnant, sed subordinantur, cum proximus non diligitur supra Deum, sed in Deo & propter Deum, quippe qui proximum diligi præcepit.

Ut autem in præcedente mandato verba, quæ expriment dilectionis objectum, videlicet diliges Dominum Deum tuum, continent simul dilectionis causam impulsivam: ita quoque in hoc ipso mandato verba, quæ expriment dilectionis objectum, videlicet diliges proximum tuum, expriment simul τὸ δῶν sive causam impulsivam dilectionis. Inde atque ideo debes diligere alium hominem, quia est tuus proximus, tuus socius, Naturæ humanæ communionem tibi conjunctus, est id quod tu es, homo scilicet, anima rationali æquè ac tu præditus, ad imaginem Dei in Adamo conditus, æternæ beatitudinis capax, ad confortium regni gratiæ ac gloriæ æquè ac tu à Deo vocatus, &c. Quæ causâ moveris, ut te ipsum diligas, eadem etiam moveri debes, ut proximum tuum diligas; jam verò ut te ipsum diligas, moveris consideratione Naturæ tuæ humanæ, ergo eadem permoveri debes, ut proximum diligas humanæ Naturæ communionem tibi conjunctum. August. lib. 14. de Civ. Dei cap. 1. Ad humanum genus non solum Naturæ similitudine sociandum, verum etiam quadam cognitionis necessitudine in unitatem concordie pacis vinculo colligandum, ex uno homine Deus voluit homines institueret, siquidem ex uno sanguine fecit totum genus humanum Actor. 17. v. 26. Ad hanc diligendi proximi causam in Ecclesia arctior quædam propinquitas accedit, quæ ad proximi amorem eo magis nos impellere potest & debet. Est enim omnium verè piorum unus pater in cælis, una omnium mater in terris. Ex eodem semine verbi regenerantur, uno Baptismi fonte abluuntur, eodem corpore & sanguine Christi pascuntur, in una Ecclesiæ domo habitant, ad eandem cœlestis gloriæ hereditatem aspirant. Pii sunt unum corpus mysticum, cujus caput est Christus, jam verò unius corporis membra debent invicem caritatis vinculo esse conjuncta. Omnes uno & eodem reguntur Spiritu, jam verò quorum est unus Spiritus, eorum etiam unus debet esse ani-

animus. Unus eorum Deus & Pater in cœlis, jam verò unius Patris filios in una domo concordés vivere convenit. Unus omnium est redemptor, ergo omnes se invicem amore completi æquissimum est. Proximus quisquis sit, is tamen est, pro quo Christus sanguinem suum effundere voluit Rom. 13. v. 15. Unus omnium est vivificator, jam verò qui unius vitæ spiritualis sunt participes, eorum etiam debet esse cor unum & anima una. Act. 4. v. 32. Unus est omnium Dominus, jam vero unius Domini servos invicem diffidere præposterum est. Una est omnium vocatio, jam verò non est æquum ut dissideant in terris, qui aliquando unâ vivere cupiunt in cœlis. Una est omnium fides, quorum ergo mentes in Christo consentiunt, eorum etiam voluntates sint conjunctæ. Unum est omnium Baptisma, una Eucharistia, jam verò qui iisdem participant Sacramentis, eodem seregi patiantur Spiritu unitatis. Unus omnium Advocatus & intercessor, qui unius Advocati fruuntur intercessione, debent esse invicem unum dilectione. Unum est omnium spirituale pabulum, verbum scilicet vivificum, qui iisdem fruuntur pascuis, nexu jungantur mutua charitatis. Una omnium spes est. *Proximi sumus conditione terrena natiuitatis & fratres spe cœlestis hereditatis*, inquit August. conc. 1. in Psal. 25. jam verò qui eandem sperant hereditatem, mutuam sectari debent caritatem. Hæc argumenta omnia inculcat Apostolus Ephes. 4. v. 4. 5. & 6. Proximus, si verè fidelis ac pius est, non solum in Adamo ad imaginem Dei conditus est, sed etiam virtute meriti Christi per Spiritum sanctum est ad imaginem Dei reparatus ac renovatus. *Quod si ergo Deam diligimus, etiam imaginem ejus diligere debemus*, ait Bernhard. in meditat. cap. 5. col. 1195. *Id ipsum, quod homini tribueris, Deo tribuis, quia homo Dei simulacrum est*, inquit Lactantius lib. 6. Instit. cap. 10. Proximus si verè fidelis ac pius est, ad Christi familiam & regnum pertinet. Qui patrem familias verè diligit, totam ejus domum favore complectitur: sic quo simus erga Patrem cœlestem affectu, erga ejus familiam ostendere convenit.

Ad hanc dilectionis causam impulsivam accedunt in super alia complures, utpote 1. *Præcipientis autoritas*. Diliges proximum tuum, inquit legislator, ubi futurum indicativum ponitur pro imperativo, ut colligitur etiam ex eo, quod additur. Lev. 19. 18. *Ego Dominus*, scilicet cujus mandatis te obsequentem præbere debes. Non in nostro relicto Deus voluit arbitrio, an proximum diligere velimus necne, sed ad dilectionem suo nos obstrinxit mandato. Hominem ergo à Deo tibi commendatum, si dignus est, ama, quia dignus est, quem ames; sin indignus, ama, quia Deus dignus est, cui pareas. Et quia hoc mandatum perpetuò nos obligat, ideo dilectionis debitum nunquam plene à nobis exolvere potest. Rom. 13. v. 8. 2. *Nostra cum Deo conformitas*. Deus est ipsa caritas 1. Joh. 4. vers. 16. ergo in caritate nostra cum Deo consistit conformitas. Ut omnia Dei opera ex caritate procedunt, ita quoque filii Dei omnia ex dilectione agere debent. Matth. 5. v. 44. inquit Christus: *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* vers. 45. *ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est*. Ideo requirit à nobis Deus proximi di-

lectionem, ut ingenium Patris cœlestis exprimamus atque ex morum qualitate agnoscamur, quisimus, videlicet filii Dei, qui est ipsa caritas. 3. *Spiritualis vitæ proprietates*. Ut vitæ animalis argumentum est motus membrorum, sic vitæ spiritualis certum indicium est amor erga proximum. *In hoc cognoscunt omnes, quod sitis mei discipuli (vitæ spiritualis participes facti) si dilectionem habueritis ad invicem*, inquit Christus Joh. 13. vers. 35. Vita animæ per proximi dilectionem sese manifestat, quinon amat, mortuus est. Jacob. 2. vers. 26. Per amorem hominis inimici amicum te probas Dei. Sicut pura verbi prædicatio est nota veræ Ecclesiæ in genere: sic caritas est nota veri Christiani in specie. Contrà verò non est vivum in corpore Christi mystico membrum, quod alteri membro non comparitur per dilectionis affectum. 4. *Caritatis necessitas*. Quilibet homo proximo suo est vel rosa redolens vel spina pungens. Si non es rosa redolens per dilectionem, eris spina pungens per obreccationem & læsionem. *Ubi dissidia, ira & odia, ibi non habitat Deus, quippe qui est Deus dilectionis*, ait Ignatius Epist. 6. ad Philadelph. Quomodo cœlestis Pater te filium suum agnoscat, si tu ejus filios non agnoveris fratres? Quomodo spiritualia Deo grata sacrificia offerre poterit, in cujus corde non ardet ignis caritatis? *Fructus non est bonus, qui de radice non surgit caritatis*, inquit Augustinus de Spir. & lit. cap. 14. Quomodo poterunt contra Diabolum sperare victoriam, qui invicem disjuncti sunt per discordiam? *Cassidorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit consipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profectò jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo, cum contra malignos Spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut per caritatem semper uniti atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inveniamur. Si caritas desit per malum discordie, locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis valeat intrare*. Gregor. homil. 8. in Ezech. Quomodo à proximo amorem sperare potest reciprocum, qui ei non impendit dilectionis debitum? *nullius ope indigere se putat, qui suam alteri denegat*. Lactant. lib. 6. div. Instit. c. 10. 5. *Caritatis dignitas*. Caritas cœlestis ignis est, quia à Spiritu factò, qui in linguis igneis apparuit, in cordibus accenditur. Ut ignis omnia sine ulla sui admixtione pervadit & ab omnibus profus excipitur: sic caritas omnia pervadit, omnia enim credit, omnia sperat 1. Cor. 13. vers. 7. ad omnes amplitudine sua diffunditur & ab omnibus hilariter excipitur. Ignis cum lucidissimus sit, nisi tamen admoveatur materia, in qua vim suam exerat, occultus in seipso manet, neque aspectui patet: ita caritas non nisi in operibus cernitur. Ignis ea, quibus infederit, in suam quasi traducit Naturam, & omnibus ad se accedentibus sui consortium impertit: ita caritas virtutum actus igneos reddit. Ignis superiora semper petit & in cacumen tendit, celer, sublimis, nullaque vi, ut inferiora petat, adigi potest: id ipsum etiam in caritatem convenit. Ignis cum omnibus participationem sui locupletissimam præbeat, nunquam tamen ipse minuitur, in quo à caritate vincitur, quæ cum se com-

se communicat, augetur. Ignis cœlitus delapsus ex portatili tabernaculo transferebatur in templum Hierosolymis fixum: sic ignis caritatis ex tabernaculo Ecclesiæ in terris militantis transfertur ad templum Ecclesiæ in cœlis triumphantis. *Caritas enim nunquam excidit, sive Prophecia evacuabitur, sive lingua cessabit, sive scientia destruetur: 1. Cor. 13. v. 8. Caritas Martyrio & fidei montes transferenti præfertur vers. 2. & 3. Caritas est vinculum perfectionis Coloss. 3. v. 14. quia omnia Christi membra in mystico corpore invicem colligat. In omnibus creaturis proposuit nobis Deus speculum & præsertim caritatis, omnes enim homini interueniunt. Sol non sibi, sed nobis lucet. Arbores non sibi, sed nobis fructus proferunt. Herbarum non sese, sed nos sanant: ita per caritatem non nostrum sed proximi debemus querere commodum. 6. Caritas utilitas.* Caritas vitam reddit suavem, tranquillam & jucundam, sicut contra lites & odia eandem reddunt turbulentam & injucundam. Caritas est quasi gustus animæ, cui soli sapit omne bonum, omne auidum, omne adversum, omne laboriosum. Caritas unctio mortem ipsam reddit suavissimam. Per caritatis opera justificatio nostra non tantum aliis manifestatur, sed & nobis certa redditur. *Scimus, quod translatus sumus de morte in vitam, quia fratres diligimus, ait Joan. 1. Epist. 3. v. 14. &c.*

A causis impulsivis sive *motu* tranſitum facimus ad *motum*, quomodo diligendus sit proximus. Diliges proximum tuum, inquit Dominus, sicut teipsum. Syrus reddidit, phrasi sibi peculiari & propria, sicut animam tuam. Augustinus disputat, non præcipi hoc loco amorem sui ipsius, sed præsupponi ut certum & indubitatum, quem sponte Natura ipsa ducit extra omne præceptum sectetur, nemo enim unquam carnem suam odio habuit. Ephes. 5. v. 30. sed ostendimus superius, omnino etiam amorem sui in hoc præcepto præscribi, non enim de quovis amore sui ipsius hic agitur, sed de amore sui honesto, ordinato, recte rationi & legi divinæ conformi. Est quidam amor sui, ad quem Natura nostra per peccatum miserè corrupta sponte propendit, qui modum excedit & in Scriptura damnatur, quando scilicet homo seipsum diligit, quatenus est corruptus, id est, quatenus vitiosas carnis suæ concupiscentias sectatur, quando seipsum ita diligit, ut proximum prorsus negligat, quando sua duntaxat commoda ac suum honorem querit, cui inordinato, perverso & præpostero amor proprio opponitur *abnegatio sui*, quam Christus ab omnibus genuinis suis discipulis requirit Matth. 16. vers. 24. Marc. 8. vers. 34. Luc. 9. vers. 23. De ejusmodi inordinato sui ipsius amore in hoc dilectionis mandato non agitur, sed de recto, honesto, licito & ordinato sui amore, qui legi divinæ & recte rationi conformis est, quo homo seipsum ita diligit, ut amorem Dei amori sui ipsius præferat, ac non solum seipsum, sed etiam proximum diligit, eique quibus potest modis inserviat. Scopus igitur legislatoris est, quod voluerit corrigere, inordinatum amorem proprium, ad quem post lapsum homines per Naturam sunt proclives, quo suis tantum serviunt commodis, ac suorum duntaxat curam gerunt, quicquid tandè de proximo fiat, cui præpostero amoris af-

fectui opponitur hoc mandatum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, id est, non solum te, sed etiam proximum diligas & ad illum amorem tuum diffundas. Voluit etiam legislator his verbis modum determinare, quo debeat proximum diligere, ne vel in excessu vel in defectu peccetur. Quod ergo quidam per particulam similitudinis sicut existimant notari *materiam*, sensu eo, quod jubeamur omnia velle proximo, quæ nobis volumus, quidam affectum, sensu eo, quod tali affectu ac conatu proximum diligere debeamus, quod nos ipsos diligimus; quidam *qualitatem & modum*, sensu eo, quod hoc modo, quo ipsi nos diligere debemus, proximum diligere debeamus, propter Deum scilicet & infra Deum, hæc omnia optimè invicem conjungi possunt, cum sint explicationes non pugnant, sed subordinatæ. Hoc ipsum ut manifestius intelligatur, diligenter expendenda sunt legislatoris verba. 2. Non dicit, diliges proximum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute*, quia his verbis summus amoris gradus designatur, qui non debetur proximo sed soli Deo. Sicut proximus est infra Deum, ita quoque infra Deum diligendus est. Sicut nos ipsos non debemus in dilectione præferre Deo: sic nec dilectionem proximi debemus præferre dilectioni Dei. 2. Non dicit, *diliges proximum propter teipsum*, quia diligere proximum propter teipsum nihil aliud est quam diligere teipsum, quemadmodum diligere proximum propter Deum est Deum diligere. 3. Non dicit, *diliges proximum propter ipsum*, quia prima & summa dilectionis proximo debita causa non est proximus, sed Deus, propter quem diligendus etiam proximus, nimirum quia dilectionem proximi ipse mandavit. Aug. lib. 1. de doctr. Christ. c. 22. *Videtur mihi propter aliud proximus diligendus. Quod enim propter se diligendum, in eo constituitur vita beata. Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquidò advertas, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illud quod fruendum est. Sic ergo teipsum non propter teipsum debes diligere, sed propter illud, ubi dilectionis tua rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta, &c. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc tum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota mente, tota anima Deum diligit, sic enim diligens tanquam seipsum totam dilectionem sui & illius refert in aliam dilectionem, quæ nullum a se rivalium duci extra patitur, cujus derivatione minuetur.* Bernh. in tract. de dil. Deo, ut perfecta fiat justitia tua in dilectione proximi, Deum in causâ habere necesse est, alioquin proximum pure diligere non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligere prius, ut in Deo diligatur & proximus. 4. Non dicit, diliges proximum tuum *plusquam teipsum*. Deum enim plusquam nos ipsos diligere debemus, sed proximum non jubemur plusquam nos ipsos diligere in eod. bonorum genere, sed propter majus bonum proximi minus bonum nostrum postponere debemus. Sic pro fratribus vitam temporalem ponere debemus, ut animos eorum lucremur 1. Joh. 3. 16. 5. Non dicit, diliges proximum tuum *infra teipsum*. Scholastici disputant, amorem nostri priori loco statui, ut quisque seipsum prius amet, deinde proximum, cum regulatum sit inferius sua regula, proinde neminem

generi equè benefacere proximo ac sibi ipsi, nec teneri equali amoris affectu ipsi bene velle, cum ordinata caritas incipiat à seipso, cumque ordini Naturæ, moris & caritatis quadret, ut quis seipsum plus diligat, quam proximum. Sed si hic fuisset legislatoris scopus, dixisset: Diliges proximum tuum infra teipsum, jam verò proximum in equali gradu nobiscum statuit, ac cum probè noverit, propter Naturæ corruptionem nos omnes nobis nimium esse deditos, vitium illud corrigere, ac neglectis aliis, nostrum duntaxat curam gerere, hoc mandato prohibere voluit. 6. Proinde dicit: Diliges proximum tuum sicut teipsum, ubi particula sicut respicit 1. dilectionis finem. Sicut teipsum in dilectione ordinata diligis propter Deum ex parte finis, sic proximum debes diligere propter Deum, id est, propter Dei mandatum & juxta Dei voluntatem. August. conc. 8. in Psalm. 118. *Ut sciat homo diligere proximum tanquam seipsum, prius debet diligendo Deum diligere tanquam seipsum.* Chrysostomus homil. 36. ad Antioch. *Quo ordine veram caritatem habere possimus, ipse Dominus dixit nobis in Evangelio evidenter ostendens. Sic enim ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde & proximum tuum sicut teipsum. Primum ergo dilige Deum, secundo teipsum, post hæc dilige proximum sicut teipsum. Prius tamen disce amare teipsum, sic dilige proximum tuum sicut teipsum. Nam si teipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere? Putant nonnulli homines legitimo ordine se amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini serviunt, &c. isti audiant Scripturam: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Si ergo amando iniquitatem teipsum non solum non diligis, sed etiam odio habes, quomodo aut Deum aut proximum diligere poteris? 2. Dilectionis formam. Quemadmodum teipsum non diligis hypocritice, sed verè & sincere, non contemtum ac viliter, sed ardentè; ita quoque erga proximum affectus esse debes. 3. Dilectionis materiam. Sicut teipsum ita diligis, ut tibi ipsi bonum velis ac facias, malum verò nolis & avertas: ita quoque bonum proximi promovere, mala verò ejus pro virili avertere debes. August. lib. de vera relig. cap. 46. *Ea est regula dilectionis, ut que homo sibi vult bona provenire, & proximo velit, ac que accidere sibi mala non vult, & illi nolit.* Inde Gregorius hom. 38. in Evangel. monet, hoc præceptum dilectionis proximo exhibende in duos quasi ramos dividit, videlicet, omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, etiam vos facite illis. Matth. 7. vers. 12. prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Luc. 6. v. 31. ac vicissim. *Quod oderis, id est, quod tibi fieri nolis, nemini feceris, Tob. 4. vers. 16. quam regulam Nazianzenus sic expressit: οὐκ ἔστιν ἄλλο μὴ παθεῖν ὅλας θέλεις, τοιαῦτα καὶ σὺ μὴ δεῖς ἄλλω θελεῖν. Qualia ab altero omnino non vis pati, talia & tu alteri ne feceris.* Cum hac explicatione, quod particula sicut dilectionis finem, formam & materiam in hoc mandato determinet, ferè congruit, quod Thomas monet 2. 2. q. 26. art. 4. similitudinem dilectionis proximo debite in tribus esse sitam. 1. *Ut diligat homo proximum sicut se, debet diligere ex parte finis, hoc est, propter Deum.* 2. *Ut diligat sicut seipsum justè, nihil injustè agens propter proximi dilectionem.* 3. *Ut proximo bonum velit, sicut sibi debet velle, non amans proximum propter suam utilitatem aut oblectationem.* Hæc tria, inquit, proximi dilectionem sanctam, justam & veram efficiunt. Sancta est, cum diligitur proximus propter Deum. Justa, cum nihil injustè propter proximum agitur. Vera, cum propter diligentiæ utilitatem aut oblectationem non diligitur. Dionysius Carthusianus in cap. 22. Matth. eodem ferè modo commentatur. *Diliges proximum sicut teipsum tripliciter. 1. Propter Deum, sicut te diligis propter Deum, qui cum sit summa ac fontana bonitas, causa & ratio est omnium sanctæ dilectionis.* 3. *Propter illud bonum, propter quod amas teipsum, videlicet ut beatitudinem consequatur, quam tibi cupis acquirere.* 3. *Ut non condescendas ei in malo, sicut nec tibi peccanti vis condescendi, si tamen amas teipsum veraciter.* Quod si ergo dilectio proximi divinæ legis præscripto debeat esse conformis, requiritur ut sit 1. *Vera & seria*: Deus enim odit omnem hypocrisin, ac postulat cordis, oris & operis convenientiam. 2. *Gratuita*: ne in dilectione proximi nostra quæramus commoda. Diligere propter beneficium acceptum vel speratum est mercenarium; diligere propter peccati consortium, est malignum; diligere propter opus bonum, est gratuitum, Luc. 6. v. 32. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt.* Sicut gratis accipit fides, sic vicissim gratis donat caritas. 3. *Compassionis sociæ*. Vera dilectio aliorum miseriam aspicit ut suam, quia per dilectionem reddimur invicem unius corporis mystici membra. Tunc mirabiliter in altum caritas surgit, cum se ad ima proximorum misericorditer inclinat, & quò benignius descendit ad infima, eò valentius recurrit ad summa 4. *Activa* 1. Joh. 3. v. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Probatio dilectionis est exhibitio operis, inquit Gregorius homil. 10. in Evang. *Qui in visceribus caritatem habet, viscera proximo non claudit, sed aperit. Aperta viscera aperiunt os, ut blandè & suaviter proximum consoletur, aperiunt etiam arcam, ut beneficium & elemosynam erogat.* August. serm. 234. de temp. *Gratuita sit dilectio Dei, benefica sit dilectio proximi.* 5. *Constans & invicta*. Caritas nostra debet esse cocculus bis tincta, ut non solum proximo benefaciat, sed etiam odia & oblectationes toleret. *Qui ob injurias à proximo sibi illatas ipsum diligere statim desinit, non proximum sed beneficia à proximo sibi præstita diligere convincitur.**

Huic mandati maximi de diligendo Deo recitatione, & mandati maximo simili de diligendo proximo enarrationi subjungit Christus tertio loco utriusque commendationem, & quidem duplicem. 1. à magnitudine. *Majus his aliud præceptum non est, nisi ὁ ἄλλος φησὶν ἰσχυρῶς φησὶν ἰσχυρῶς dictum, majus his, scilicet duobus.* Prius videlicet mandatum de diligendo Deo majus est posteriore, videlicet mandato de diligendo proximo, sed utrumque est majus cæteris omnibus mandatis, sive dignitatem, sive necessitatem, sive utilitatem respicias. Syrus reddidit: *Mandatum aliud, quod sit majus his, non est sive non datur.* 2. Ab amplitudine in his duobus mandatis universa lex & Prophetæ pendet. Hoc αἰτιολογικῶς præcedenti membro subjicitur, ideo non datur majus his mandatum, quia in his duobus pendet lex & Prophetæ, id est, quicquid mandatorum in lege & Prophetis continetur, ut sic dignitas & magnitudo horum mandatorum ab eorundem amplitudine demon-

stretur. ἐν ταῖς τὰς δύο ἐντολαῖς, inquit, non in uno solo, sed in his duobus mandatis, quamvis certa ratione etiam in alterutro horum univēsa lex pendere dici possit, ut postea monebitur, ὁλος ὁ νόμος univēsa vel tota lex, nam utroque modo ὁλος usurpatur. Syrus hunc προσδιορισμὸν omisit. Non solum autem univēsa lex, sed etiam Prophetæ, id est, quicquid in libris Prophetis à Moisaicis distinctis continetur, illud omne pendet in his duobus mandatis, id est, hisce duobus mandatis summam comprehendunt & ob oculos ponuntur non solum decem præcepta Decalogi, sed etiam tota legis & Prophetarum doctrina, quatenus Decalogi expositionem continet, κρημασσαι vel κρημασθῆναι proprie significat pendere, suspendi Mat. 18, 6. Luc. 23, 39. Act. 5, v. 30. c. 10, v. 39. cap. 28, v. 3. Gal. 3, v. 13. LXX. utuntur pro ἵλη Gen. 40, v. 19. Deut. 21, v. 22. Pl. 137, v. 2. &c. quâ voce etiam Syrus hoc loco utitur. Quidam ergo statuunt metaphoram petitam esse ex eo, quod ea, quæ suspēsa sunt, vel ex paxillo pendunt, ab omnibus videri & conspici possint, quo sensu hoc verbum usurpatur Ezech. 15, v. 3. ut & Deut. 28, 66. erit vita tua suspēsa ante oculos tuos, id est, nihil nisi præsentissimam mortem videbis, quocumque respicies (quamvis pii veteres de Christo in cruce suspēso mysticè illud accipiant) sic ergo erit sensus, quia omnia legis & Prophetarum præcepta ad dilectionem Dei & proximi referuntur, & in his duobus summam intelligenda proponuntur, ideo duo illa præcepta ob oculos semper habenda, & ad ea in omnibus nostris cogitationibus, verbis & actionibus unicè respiciendum esse. Quidam putant metaphoram ductam esse à fasciculis, qui ex pariete suspenduntur, ut sit sensus, quicquid usquam à Mose & Prophetis de faciendo bono & omitendo malo docetur, hoc totum in duobus illis præceptis tanquam in brevi quodam fasciculo comprehenditur. Quidam statuunt respectum haberi id τῶν ἰσχυρῶν memorialia seu frontalia, quæ appendi Deus iusserat, ut legis totius μνημόσυνα. Exod. 13, v. 16. Deut. 6, vers. 8. cap. 11, vers. 18. quæ ex eo dicuntur Φυλακτήρια conservatoria legis, quod summam totius legis comprehendant Mat. 23, vers. 5. Casaubonus statuit in voce κρημασθῆναι esse merum Latinismum, sine ulla ad Φυλακτήρια allusione. Paulus illud κρημασθῆναι exponit per ἀνακεφαλαιώσασθαι Rom. 13, v. 9. Ut enim Christus hoc loco dicit, in his duobus de diligendo Deo & proximo mandatis totam legem & Prophetas pendere: ita Apostolus ibi asserit: mandata illa, non adulterabis, non occides, non furaberis, non dices falsum testimonium, non concupisces, & si quid aliud est mandatum, in hoc verbo ἀνακεφαλαιώσασθαι, diliges proximum tuum sicut teipsum. Vulgata reddidit instaurari, rectius Augustinus Epist. 29. recapitulari, id est, ad unum caput sive in summam redigi, sub uno capite comprehendî, in una summa contineri, metaphora enim ducta est vel à Rhetorum epilogois, in quibus tota causa summam repetitur, quod illi vocant ἀνακεφαλαιώσασθαι, vel ab Arithmeticoꝝ computationibus, in quibus omnes numeri in unam summam tandem colliguntur. Gal. 5, 14. habetur verbum πληροῦσθαι. Sic ergo erit sensus: eorum omnium, quæ in secunda decalogi tabula continentur, subductis rationibus hæc est summa, diliges proximum tuum sicut teipsum. Quando igitur Christus

dicit, ab his duobus mandatis pendere legem univēsam & Prophetas, docet 1. omnia legis mandata ad hunc finem referri, quia finis legis est caritas ex corde puro & conscientia bonâ & fide non fictâ. 1. Tim. 1, v. 5. August. lib. 1. quæst. Evang. cap. 33. Pendet lex & Prophetæ, id est, illuc referuntur, ibi habent finem. lib. de perfect. just. cap. 11. Dominus, qui verbum consummans & brevians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem Prophetasque pendere, ut intelligeremus, quicquid aliud divinitus præceptum est, in his duobus habere finem & ad hæc duo esse referendum. Quicquid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid jubemur, facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut ista duo compleamus. Glossa interlin. in cap. 22. Matth. Ad hæc duo referuntur totus Decalogus & monita Prophetarum ibi habent finem 2. Omnium eorum, quæ lex & Prophetæ docent, monent, jubent, ordinant, prohibent, cavere suadent, summam in eo contineri, quod Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos diligere debeamus, hanc esse totius legis epitomen, hoc omnium Prophetarum scriptorum summam, &c. Dei enim dilectione continentur, quæ de vera Dei agnitione, fiducia erga Dei, spe, timore, humilitate, patientia, invocatione, religione, &c. tractant; proximi dilectione continentur, quæ de iudicio & iustitia, honore parentum, amicitia, misericordia, veritate, candore, &c. tractant. 3. Intelligentiam eorum, quæ in lege & Prophetis continentur, ex his duobus mandatis pendere. Cum enim caritas sit finis legis & Prophetarum, ideo is demum legem & Prophetas rectè intelligit, qui hæc duo præcepta intelligit & facit. 4. Ad duplicis illius dilectionis exhibitionem omnia legis & Prophetarum præcepta ordinari, ita ut secundum exigentiam mandatorum dilectionis reliqua omnia mandata sint servanda, vel aliquando etiam omitenda aut mutanda. Potest etiam hæc collatio aliquid monere. Sicut Christus mandato, omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, etiam ipsi facite, subicit Mat. 7, 12. Hæc est enim lex & Prophetæ: ita hoc loco dicit, in his duobus mandatis de dilectione Dei & proximi pendere legem & Prophetas. Ergo in his duobus mandatis pendere legem & Prophetas, idem est, achæc duo mandata esse legem & Prophetas. Ut enim se habent prima principia in scientiis speculativis, ita se habent præcepta caritatis in doctrina legis & Prophetarum. Quemadmodum igitur conclusiones virtualiter continentur in principiis speculativis & ex eis deducuntur: sic omnia præcepta virtualiter continentur in præceptis caritatis, & ex eis per modum conclusionis deducuntur. Sed circa hanc assertionem Christi, quod ex his duobus mandatis pendeant univēsa lex & Prophetæ, oriuntur dubia quædam non contemnenda. 1. Quomodo non solum moralia præcepta Decalogi, sed etiam forensia & Ceremonialia mandata in his duobus præceptis continentur, cum primo intuitu id non cuius appareat? Quæ sit præceptorum in Mose & Prophetis numerus, legenti Scripturas manifestum, sed quomodo in his duobus contineantur, non cuius statim obvium. Hieronymus in cap. 5. ad Gal. Non difficile est docere, quomodo univēsa præcepta, Non occides, non adulterabis, &c. unâ caritatis observatione continentur: hoc ostendere arduum est, quomodo hostias, quæ in Levitico sunt præcepta, & ciborum vel abstinentia vel permissio, cum alia munda, alia dicuntur immunda.

immunda, solennitatum quoque jugis per annos recur-
sus in uno caritatis præcepto recapitulentur, nisi forte
quis illo se transferat, ut affirmet legem spiritalem esse, &
imaginibus & exemplaribus nos celestium deservisse, an-
tequam verus Pontifex adveniret, qui postquam semel
seipsum offerens victimam, suo sanguine nos redemit, om-
nis illa prisca legis varietas & difficultas in ipsius
super homines dilectione completa est. Simplicissime
respondetur, ex dilectione Dei pendere observa-
tionem legum Ceremonialium, quæ sunt appen-
dices primæ tabulæ, qui enim Deum diligit, et-
iam statutis ejus sese obsequentem præstat; ex dile-
ctione proximi pendere observationem legum
forensium, sive judicialium, quæ sunt appendices
secundæ tabulæ. 2. Quomodo universa lex & Prophetæ
in his duobus mandatis pendeant, cum in Mose & Pro-
phetis non solum legalia præcepta, sed etiam promissiones
Evangelicæ de Messia & ipsius beneficiis contineantur?
Rom. 1. vers. 2. cap. 3. vers. 21. Gal. 3. vers. 16. &c.
Quidam respondent, non tantum reliqua legis & Pro-
phetarum præcepta in his duobus comprehendunt, sed etiam
quodammodo quæcumque in lege vel in Prophetis narra-
tur, facta vel dicta à Deo vel ab hominibus, omnia enim
propter caritatis adificationem narrari. Simpliciter
respondetur, Christum hic tantum de legalibus
præceptis, non autem de Evangelicis promissionibus
agere. Non enim generaliter de eo agit, quid
in Mosaicis & Prophetis libris contineatur,
sed ad hæc duo dilectionis capita referri docet,
quicquid de ratione piæ & justæ vivendi in lege
& Prophetis continetur, quo sensu dilectio imple-
tio legis dicitur Rom. 13. v. 8. Frustra igitur Bar-
radus hoc urget, quod Christus non dixerit ex fide legem
& Prophetas pendere, sed ex caritate, ut justificationem
magis ex caritate, quam ex fide pendere probet. Chri-
stus enim hoc loco non agit de modo justificationis
nis, quam ex Evangelio, non ex lege discendam
esse. Apostolus docet Gal. 3. vers. 11. &c. sed de
maximo legis mandato. Interim rectè dicitur,
ipsius Evangelii & justificationis finem esse cari-
tatem, ideo enim Deus propter Christum Medi-
atorem ex gratia nos justificat, ut per caritatem i-
psi adhæreamus, quæ in hac vita est duntaxat in-
choata, in futura autem vita erit consummata.
3. Quomodo hæc duo mandata sint maxima, cum non pon-
nantur in Decalogo? Resp. Thomas 2. 2. q. 44. art. 1. Quia
omnia & singula Decalogi præcepta ordinantur ad dile-
ctionem Dei & proximi, ideo præcepta caritatis non fuisse
connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus in-
cludi. 4. Quomodo ab his duobus mandatis lex & Prophetæ
dicantur pendere, cum ab uno mandato de diligendo proxi-
mo lex & Prophetæ dicantur pendere Matth. 7. vers. 12.
Rom. 13. vers. 10. Gal. 5. vers. 14. Quidam respon-
dent, Christum & Paulum ibi tantum loqui de præ-
ceptis secundæ tabulæ ad proximi dilectionem pertinen-
tibus, hoc autem loco de utriusque tabulæ præceptis ser-
monem esse. Sed Augustinus rectè monet, ad al-
terutrum etiam horum præceptorum omnia legis
& Prophetarum præcepta revocari posse, quia qui
Deum verè diligit, is etiam diligit proximum, &
qui proximum verè & juxta voluntatem Dei dili-
git, is etiam diligit Deum. Cum duo præcepta sint, in-
quit lib. 8. de Trinit. cap. 7. in quibus tota lex pendet &
Prophetæ, dilectio Dei & dilectio proximi, non im-
merito plerumque Scriptura pro utroque unum po-
Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

nit, sive tantum Dei, sicut est illud, scimus quoniam dili-
gentibus Deum omnia cooperantur in bonum: & iterum
Quisquis autem Deum diligit, hic cognitus est ab illo.
Et illud: Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus no-
stris per Spiritum Sanctum, &c. & alia multa; quia
& qui diligit Deum, consequens est, ut faciat quod præ-
cipit Deus, & in tantum diligit in quantum facit, con-
sequens ergo est, ut & proximum diligit, quia hoc præce-
pit Deus. Sive tantum proximi dilectionem Scriptura
commemorat, sicut est illud: Invicem onera portate, &
sic adimplebitis legem Christi. Et illud, omnis enim
lex in uno sermone impletur, in eo quod scriptum est, di-
liges proximum tuum sicut teipsum. Et in Evangelio,
omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines bona,
ita & vos facite illis, hæc est enim lex & Prophetæ. Et
pleraque alia reperimus in sacris literis, in quibus sola
dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur, & ta-
ceri de dilectione Dei, cum in utroque lex pendeat & Pro-
pheta. Sed & hoc ideo, quia & qui proximum diligit,
consequens est, ut ipsam præcipue dilectionem diligit. De-
us autem dilectio est & qui manet in dilectione, in Deo ma-
net. Consequens Ergo est, ut præcipue Deum diligit.
Proinde quod in his duobus mandatis dicuntur
pendere lex & Prophetæ, utroque modo verum
est, sive intelligatur conjunctim, quod in duobus i-
stis simul pendeant, quia in priore præcepta pri-
mæ tabulæ de cultu divino, in posteriore præcep-
ta secundæ tabulæ de officiis erga proximum
summatim comprehenduntur; sive intelligatur
divisim, quod in alterutro horum omnia pende-
ant, quia alterius præcepti observatio sine altero
esse non potest, imò alterum in altero includit-
tur. Ex hac Christi responsione colligitur. 1. In-
ter præcepta Dei primas partes non tribuit Christo
legi Ceremoniali vel forensi sed morali, cujus
summa dilectione Dei & proximi comprehendi-
tur. Quia leges Ceremoniales & forenses sunt duntaxat
Decalogi appendices, & Judaicum duntaxat
populum ad tempus obligarunt: sed lex moralis
est æterna & immota justitiæ regula. Huc etiam
pertinent dicta Of. 6. v. 7. Matth. 9. v. 13. cap. 12. v. 7.
Misericordiam volo & non sacrificium. 2. Hæc duo præ-
cepta de dilectione Dei & proximi omnes non pecca-
ti convincere, ut rectè scribit Joh. Ferus in cap. 22.
Mat. Equis enim gloriarì potest se toto vitæ tem-
pore Deum ex toto corde ex tota anima, ex tota mente &
ex tota virtute, ac proximum sicut seipsum perpetuo dile-
xisse? equis in dilectione Dei sese satis fervidum ef-
se sentit? quis de se verè affirmare potest, quod proxi-
mum non verbis tantum, sed etiam corde & ope-
re; non simulatè, sed verè; non frigidè, sed arden-
ter; non ad tempus, sed constanter; non perfunctoriè,
sed intime; non tantum beneficientem, sed &
persequentem diligit? nimirum lex spiritualis est, i. e. nō
externam tantum, sed etiā internam Spiritus obœ-
pientiam requirit, ac talem perfectionem & inte-
gritatem postulat, ut nihil carnale sit aut sentiatur,
quod nos vel alio inclinet ac trahat, vel impedi-
at, quò minus totus homo sit spiritualis, & motus dile-
ctionis ardentissimus, nos autem carnales sumus, id
est, nondum liberati ab omnibus carnis concupi-
scentiis. Rom. 7. 14. inde legis perfecta impletio in
hac vita nobis est impossibilis. 3. Christum nostri lo-
co mandatum de dilectione Dei & proximi perfe-
ctissime implevisse, cujus justitia per fidem nobis
U u 2 impu-

imputatur Rom 8.v.3.c.10.v.4. idem donat nobis Spiritum Sanctum, qui nos regenerat ac renovat, ut huic mandato obœdientiam præstare incipiamus ac Deū & proximū ἀνεπαρξήτως diligamus, quæ dilectio in hac vita inchoatur, meditatione divinæ bonitatis & benignitatis, invocatione, auditu verbi, usu Sacramentorum, &c. quotidie augetur, donec in vita æterna consummatur. Ideo etiam Christus hoc loco mandatum dilectionis ex Deuteronomio, id est, secunda lege in Moab promulgata adducit, ut ostendat ex secunda lege, id est, nova, quæ est lex Christi, lex gratiæ, reconciliationis & amoris, hujus mandati impletionem esse perendam, ut Stapulensis in comment. hoc loco admonet. 4. Summam totius legis moralis consistere in duobus mandatis de dilectione Dei & proximi, unde etiam pro numero & ratione duorum istorum mandatorum Decalogus in duas tabulas distributus est, quarum prior continet præcepta, quæ pertinent ad dilectionem Dei, posterior ea, quæ pertinent ad dilectionem proximi. Aug. in Enchir. cap. 121. *Omnia præcepta divina referuntur ad charitatem. Charitas ista Dei est & proximi, & utique in his duobus præceptis tota lex pendet & Propheta.* 5. Esse immediatam connexionem inter dilectionem Dei & proximi. Qui Deum verè diligit, etiam proximum diligit, quem Deus diligi præcepit. Vicissim, qui non diligit proximum, quem videt, quomodo poterit diligere Deum, quem non videt? 1. Joh. 4.v.20. *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligit etiam fratrem suum.* v.21. 6. Sicut Christus plus respondet, quam interrogatur: ita quoque eum plus donare quam rogatur. Interrogatus erat de maximo mandato, sed amplificat responsum suum, tum additione rei similis, videlicet præcepti de diligendo proximo, tum commemoratione rei paris, videlicet, quod duo illa mandata de dilectione Dei & proximi contineant summam, non solum legis, de qua proposita erat quæstio, sed etiam Prophetarum, qui sunt legis interpretes.

Posterior pars hujus pericopes exponit τὸ ἐξ ὅλης seu eventum colloquii, & eum quidem duplicem, unum Scribæ illius proprium, alterum illi cum cæteris communem. Proprium ipsi fuit, quod responsum Domini approbarit; commune cum cæteris, quod nemo Phariseorum, Scribarum & Sadducæorum ipsum ausus fuerit postea interrogare. Et dixit illi Scriba: *Bene Præceptorum veritate dixisti, quod unus sit Deus, & non sit alius præter illum, quodque diligere eum ex toto corde & ex tota intelligentia & ex tota anima & ex totis viribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus sit quam universa holocaustomata & victima.* Quamvis hic Scriba animum suum bene erga Christum affectum in initio dissimularit, neque eum Collegis suis aperuerit, quin & passus fuerit ab illis sibi imponi provinciam Jesum aggrediendi, atque arduam quæstionem de maximo legis mandato ipsi proponendi, tamen cum audiret nervosum, solidum & sapientissimum Christi responsum, quod sententiæ, in quam propendebat, conforme erat, non amplius suam vel in hac quæstione sententiam vel benevolam erga Christum affectionem dissimulavit, sed responsum illud Christi publicè commendavit, quamvis non esset nescius, hanc responsi approbationem & Christi laudem præsentibus Collegas ægerrimè laturos. Qui statuerunt hunc Scribam primum quidem tentandi animo accessisse, postea verò responso Do-

minico conversum præter animi sui institutum in laudem Christi erupisse, colligunt ex hac approbatione, quanta sit vis veritatis, ut hostium etiam animis potenter sese insinuet, quodque non statim desperandum sit de illis, qui veritatem nondum rectè perceptam impugnant. Sed quid hac de re statuendum sit, superius in ratione ordinis exposuimus. In hac responsi à Christo dati approbatione primò Christum vocat διδάσκαλον, vel quod Christus ab omnibus non solum Apostolis & discipulis, sed etiam à promiscua plebe hoc nomine appellaretur Matt. 8.v.19.c.12.v.38.c.19.v.16. Marc. 9.v.17. Joh. 13.v.13. &c. vel quod honorifico illo encomio significare voluerit, Christum reverè sese doctorem in solido suo responso præstitisse, seque ipsum pro præceptore in corde suo agnoscere. Neque enim hypocriticè vel adulatoriè ipsi hoc nomine blanditur, ut Pharisei Matt. 22.v.16. ac Sadducæi v.24. fecerant. Deinde commendat Christi sententiam de uno ac solo vero Deo. καὶ ὅτι ἄλλοθεός, bene cum veritate dixisti, hoc est, convenienter & verè respondisti. Syrus vertit, *pulcre & veritatem dixisti, ὅτι quod sit unus Deus & non sit alius præter illum,* hac enim enunciatione exclusivâ, quod extra & præter verum Deum non sit alius Deus, nec quisquam illi similis, summa divinæ essentiæ unitas in sacris literis describitur Deut. 4.v.35. & 39.c.10.v.17.c.32.v.39. 1. Sam. 2.v.22. Sam. 7.v.22.c.22.v.32. 1. Reg. 8, 60. 2. Reg. 5.v.15. 1. Paral. 18.v.20. 2. Paral. 6.v.14. Pf. 18.v.3. 1. Pf. 86.v.19. Es. 44.v.6. & 8.c.45.v.5. 2. 22.c.46.v.9. Dan. 3.v.97. Ose 13.v.5. & 6. Joel. 2.v.27. Syrus nomen Dei omisit, idque ex præcedentibus subintelligendum reliquit. Tertio hujus unius ac solius veri Dei dilectionem urget, καὶ τὸ ἀγαπᾶν αὐτὸν, scilicet etiam hoc bene & in veritate dixisti, quod diligere eum ex toto corde & ex tota intelligentia, ἐξ ὅλης & συνειδήσεως (quod prius dictum erat ἐξ ὅλης διανοίας hic explicatur per σύνεσιν) Syrus utrobique retinuit vocabulum נָדָבָה & ex tota anima & ex totis viribus plus sit quam universa holocaustomata. Syrus & vulgatus interpretes hanc particulam de dilectione Dei à sequentibus disjungunt. Reddiderunt enim, ut diligatur, vel quod diligit eum homo. Sed in textu Græco cum sequentibus in divulso nexu conjungitur, quod magis convenit Christi responso. Quarto dilectionem proximi cum dilectione Dei immediatè conjungit: *Bene respondisti quod diligere Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsum plus sit magis omnibus sacrificiis.* Quamvis maximum in lege mandatum, de quo Scriba quæsiverat, solius Dei dilectionem contineat, tamen quia Christum maximo illi mandato alterum de dilectione proximi in responso suo conjunxerat, ideò ipse quoque in approbatione responsi dilectionem Dei & proximi conjungit, quanquam non sint æquali gradu habendæ. Quinto utramque dilectionem præfert omnibus sacrificiis: *Bene dixisti, quod diligere Deum ex toto corde & proximum sicut seipsum πλεον ἔστι, plus sit, pluris à Deo, fiat, majus opus sit.* In quodam Codice Græco legitur περισσώτερον amplius. Syrus reddidit נָדָבָה quod de quantitate & qualitate usurpatur, significans potius amplius, præcellentius, &c. quam omnia holocaustomata & victima. ὁλοκαυτώματα LXX. Interpretes illa sacrificiorum genera, quæ tota Deo adolebantur, ut ipsa etymologia ostendit. Hebræi vocant עֹלֹת ab ascendendo, quasi integrali ascenderent altare ac integra in eo concremarentur.

Sacrificia vocant illa sacrificiorum genera, ex quibus pars aliqua Sacerdotibus & convivis cedebat. Hebraeis dicuntur זבחים à *machando*. Hieronymus in cap. 65. Esa super verba *Holocausta eorum & victimae eorum placebunt mihi in altari meo*. Quia verò plura erant sacrificiorum genera, ideò his duobus tanquam principalioribus & ad quae reliqua possunt referri *συνέδωχον* significatur omne genus sacrificiorum in veteri lege praescriptum, imò totus cultus Ceremonialis, cui Scriba hoc loco praefert opera moralia, quorum summa in dilectione Dei & proximi continetur. Christus quidem in responso suo non meminerat difertis & expressis verbis *sacrificiorum*, interim Scriba hic repetit verba Christi, ac si dixisset *dilectionem Dei & proximi universis sacrificiis esse praefendam*, quia Christus implicite hoc dixerat. Si enim non datur majus mandatum duobus hisce, quae de dilectione Dei & proximi agunt, utique dilectio Dei & proximi omnibus sacrificiis in aliis legibus praescriptis eo ipso praefertur. Accedit quod Christus jam ante totidem verbis ex Ose. 6. vers. 6. hoc ipsum Phariseis objecerat, quod *Deus misericordiam sive dilectionem proximi magis requirat quam sacrificium* Matth. 9. vers. 13. cap. 12. vers. 12. Ex hisce Scribae verbis colligit Beda, *fuisse tunc temporis inter Phariseos, Sacerdotes & Scribas quosdam, qui sacrificiis primas tribuerint partes, eademque reliquis operibus omnibus praeferre non dubitarint*. Baradius putat, hanc non esse firmam collectionem, potuisse enim Scribam praeferre *charitatem sacrificiis, quamvis de eo nulla esset inter Judeos questio*. Sed Sacerdotum & Phariseorum avaritia, cujus explendae causam sacrificia multiplicari voluerunt, hanc collectionem haud obscure confirmat, & quia Christus Phariseos discere jubet, quid sit illud, *misericordiam volo & non sacrificium* Matth. 7. vers. 13. cap. 12. vers. 7. ex eo intelligitur, quod hujus rei non fuerint admodum gnari. Hoc ipsum verò extremam Scripturarum ignorantiam in Scribis arguit, qui tamen earum peritissimi haberi voluerunt. Scriptura enim in locis compluribus clarissime testatur, Deum oblationibus, sacrificiis, aliisque observationibus typicis minime indignis, obaedientiam praestare sacrificiis, ideoque a Deo potius requisitam quam sacrificia, &c. Collegit illa Scripturae testimonia Irenaeus lib. 4. adversus haeres. c. 42. quem hac de re differentem audire non gravabimur: *Quoniam* (inquit) *non indigens Deus servitute eorum, sed propter ipsos quasdam observantias in lege praecipit, plenissime Prophetiae indicant. Et rursum, quoniam non indiget Deus oblatione hominum, sed propter ipsum, qui offerat, hominem, manifestè Dominus docuit. Si quando enim negligentes eos iustitiam & abstinentes à dilectione Dei videbat, per sacrificia autem & reliquas typicas observationes putantes propitiari Dominum, dicebat eis Samuel quid sciret, 1. Sam. 15. v. 22. Non vult Deus holocausta & sacrificia, sed vult exaudiri vocem suam. Ecce auditus bonus super sacrificium & auditus super adipem arietum, David autem ait Ps. 40. v. 7. Sacrificium & oblationem noluisse, aures autem perfecisti mihi, holocausta autem pro delicto non postulasti, docens eos, quoniam obauditionem mavult Deus, quae servat eos, quam sacrificia & holocausta, quae* Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

nihil eis profunt ad iustitiam, & novum simul prophetans Testamentum. Manifestius autem adhuc in Psal. 51. v. 17. de his ait: *Quoniam si voluisset sacrificium, dedissem; utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus, non despicias. Quoniam ergo nihil indiget Deus in eo, qui est ante hunc Psalmo 50. v. 9. ait: Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos. Quoniam mea sunt omnes bestiae terrae, &c. deinde ne quis putet, propterea quod irascetur, eum recusare haec, infert, consilium ei dans, immola Deo sacrificium laudis &c. Hoc idem autem & Esaias ait cap. 1. v. 11. Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus, plenus sum. Et cum abunisset holocausta & sacrificium & oblationes, adhuc autem & neomenias & Sabata & ferias & reliquam universam consequentem his observationem, intulit, suadens eis quae salutaria sunt: *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias à cordibus vestris*. Similia occurrunt Esa. 43. v. 23. c. 58. v. 6. c. 66. v. 2. Jerem. 6. v. 20. c. 7. 4. & 21. c. 9. v. 23. Ose. 6. v. 7. Zach. 7. v. 9. quae omnia dicto loco Irenaeus adducit & exponit. Notandum verò circa hanc assertionem, quod dilectio Dei & proximi omnibus sacrificiis sit potior. 1. Sacrificia hic considerantur ratione externi duntaxat operis, quantenus per ea implentur leges Ceremoniales; quantenus verò ex fide promissum Messiam respiciente offeruntur, eatenus non possunt à dilectione Dei & proximi separari, quia fides illa in promissum Messiam, quam Deus per sacrificia in cordibus hominum excitare, augere & confirmare voluit, efficax est per dilectionem Dei & proximi Gal. 5. v. 6. 2. Utroque modo verum esse, dilectionem Dei & proximi praeferi sacrificiis, sive intelligatur *conjunctim*, quod Dei & proximi dilectio simul sumta sacrificiis praefertur, sive intelligatur *disjunctim*, ac divisim, quod Dei dilectio sacrificiis praefertur, & quod proximi dilectio iisdem praecellat. Quamvis enim sacrificia sint pars divini cultus, & ad priorem Decalogi tabulam pertineant, tamen dilectio proximi ad secundam Decalogi tabulam pertinens merito eis praefertur, quia interior Dei cultus preciosior quidem est omnibus honesta & iusta vitae officii, interim externa divini cultus exercitia tanti apud Deum non sunt nec aestimantur, ut charitas eis sit postponenda Ose. 6. v. 7. Mat. 9. v. 13. 3. Rationem assertionis esse eam, quia Deus, cum sit Spiritus, Spiritu praecipue colitur Joh. 4. v. 24. externa autem sacrificia in se & per se sine vera fide considerata Spiritum non efficiunt, sed fides & charitas. Fides & charitas per se placent Deo, sacrificia verò non probat nec expetit nisi ob certum finem. Absq; sacrificiis multi placuerunt Deo, absq; fide & dilectione nemo, cum nec ipsa sacrificia absque fide & charitate Deo fuerint grata. Augustinus rationem reddens, quare melior sit obaedientia quam *victima* 1. Sam. 15. v. 21: *pulerè scribit ferm. 7. ad frat. in eremo, ideò obaedientiam praeferi victimis, quia in victimis immolatur caro aliena, sed in obaedientia voluntas propria & caro maciatur, ac lib. 10. de civit. Dei cap. 5. ait, Deus non vult sacrificium trucidatè pecoris, sed vult obaedientiam contriti cordis. 4. Si de sacrificiis divinitus institutis & mandatis rectè dicitur, dilectionem Dei & proximi illis esse praefendam, hoc longè magis de *εθελοθρησκείας* & operibus**

ribus juxta hominum traditiones, vel ex bona intentione sine præscripto verbi factis, esse dicendum, videlicet quod dilectio Dei & proximi longissimè illis anteferenda sit. Deniq; in Scriba proponitur nobis exemplum *Φιλανθροπίας* & modestiæ, quod verbo veritatis non debeamus ex quadam *Φιλανθροπία* contradicere, Eccles. 4. v. 30. sed eam, à quocunque denum proferatur, reverenter amplecti & approbare, quem affectum in hoc Scriba Christus commendat, & nobis imitandum sistit: *Jesus enim, cum videret, quod cordatè respondisset, dixit illi: Haud longè abes à regno Dei.* Καὶ ponitur hoc loco pro adversativa vel temporis nota. At Jesus, vel tunc Jesus *ἰδὼν* videns. Græce additur pronomen relativum *αὐτὸν* intuens eum, quod ex c. 10. v. 21. huc translatum quibusdam videtur hic esse superfluum; sed nullà cogimur necessitate, ut à textu authentico discedamus. Christus intuitus est hunc scribam, ut oculis fidem ejus juvaret & verbis eum ad perfectiorem fidem hortaretur, sicut etiam Petrum suo intuitu ad penitentiam invitavit Luc. 22. v. 61. Theophylact. ad hunc Scribam accommodat verba Marci c. 10. v. 21. *ἐμβλέψας αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς ἠγάπησεν αὐτόν.* Sed hoc est *ἀμωστῆμα μνημονευτικόν*, alius enim Scriba fuit, de quo agitur hoc loco, ab eo cuius mentio fit Marc. 10. v. 21. Vidit Christus, quòd respondisset *ἄνευ χάριτος cordatè, sapienter à νόῳ & ἐκ τῆς mentis* seu *cor habere*, quod Græci usurpant pro eo, quod est *sapere*. Polybius *ἄνευ χάριτος ἐδόκειν πραγματεύεσθαι πρὸς τὰς τοῦ καίρους*, cui affine est *ἄνευ χάριτος*, quo Isocrates utitur. Syrus reddidit *ἄνευ χάριτος* *sapienter*. Dicitur hic Scriba *respondisse*, cum tamen Christus, non Scriba, responderit, quia responsum Christi suo assensu confirmaverat, ac veritatis rejectis adversariorum sententiis publicum suffragium præbuerat, inde Christus ipse dicit: *Haud longè abes à regno Dei.* Regnum Dei in Scripturis accipitur, tum pro *regno gratiæ*, quod in verbo Evangelii hominibus offertur, tum pro *regno gloriæ*, ad quod ex regno gratiæ credentes post mortem transferuntur, &c. Utraque significatio hic locum habere potest, magis tamen convenit prior. Non longè aberat hic Scriba à regno Dei. 1. Quia non longè aberat à salutari Christi cognitione & fide, quâ pervenitur ad regnum gratiæ. Qui enim agnoscit Dei & proximi dilectionem pluris faciendam quam holocausta, facile eo perducitur, ut agnoscat sacrificia ex se & ex opere operato hominem non justificare, ac proinde quali manu ducatur ad justitiam in Christo per fidem quærendam; & qui perfectionem legis de dilectione Dei & proximi rectè intelligit, facile agnoscit, ad eam in hujus vitæ infirmitate nos non posse assurgere, ac proinde non ex lege, sed ex Evangelio justificationem esse petendam, quo respectu *lex Pedagoga ad Christum dicitur* Galat. 3. v. 24. Euthymius in cap. 12. Marc. *Appropinquas fidei, quia veritatem confessus es.* 2. Quia non oblectabatur veritati, nec per invidiam calumniari studebat, quæ rectè erant à Christo dicta. Sicut honestà occasione permotus ad Christum accesserat, ac sine hypocrisis discedendi animo quæstionem de maximo mandato ei proposuerat, ita audiens solidum Christi responsum dat locum veritati, eamque publicè commendat. Jam verò, qui veritati agnitæ non resistit, sed eam amplectitur, propinquus fit fidei. 3. Quia

verum divini cultus modum intelligebat. Regnū Dei in Novo Testamento consistit in Spiritu, sicut vetus in typis & umbris sacrificiorum. Quia ergo primas assignabat dilectioni, quæ est fructus Spiritus, ideò propinquior erat regno Dei, quàm reliqui Judæi, qui sacrificiis primas dabant partes. Simon d'Ceassia lib. 1. i. cap. 53. *Non assurgitur ad actiones virtutum, nisi præeat earum cognitio, igitur non longè à regno Dei censendus est, qui rectum habet utriusque partis judicium, sive à regno Dei, quod intra nos est, ut facile fiat & adveniat in nobis, sive à regno Dei, quod est Catholica Ecclesia sive à regno Dei, quod est in superna patria.* Pontificii disputant, hunc Scribam propterea dici non longè abesse à regno Dei, quia noverat, quid faciendum sit ad obtinendam vitam æternam Luc. 10. v. 25. ubi Christus de his duobus præceptis respondet, *hoc fac & vires.* Sed per *rosacere legem* post lapsum non possumus appropinquare regno Dei, cum impletio legis perfecta & absoluta non sit in nostris viribus, ad cuius *ἀδυναμία* cognitionem Christus *ὑμῶν* illum Luc. 10. vers. 25. propriæ justitiæ opinionem turgidum verbis illis obliquè adducere voluit. Chrysofomus homil. 72. in Matth. monet, *Christum hac approbatione nequaquam suam divinitatem negare voluisse.* Quærit enim, *quam obrem Christus illud laudaverit, quod hic Scriba præter Patrem alium non esse Deum dixerat?* ac respondet: *non certè quia non esse se Deum voluit significare, ab hoc enim, sed quia nondum aderat tempus sue divinitatis revelanda, idcirco in priori dogmate illum permanere dimittit, ceuque probè vetera tenentem laudavit, ut idoneum ad N. T. doctrinam faceret, quam oportuno tempore manifestus erat introducturus: sed rectè addit Chrysof. quando in Scriptura sive veteri sive nova dicitur, unum esse Deum & præter illum non esse alium, hoc non ad distinctionem Filii, sed exclusionem idolorum esse dictum.* Neque tamen Christus hunc scribam dicit jam tum esse in regno Dei, sed ab eo non longè abesse, quo ipso innuit, eum adhuc ab illo distare. *Non honoravit eum consummata laude, ait Chrysof. d. l. sed nonnihil ei deesse ostendit. Nam etsi non procul abest, abest tamen, quare defectus ille supplendus erat. Tacitè igitur ad fidem eum invitavit, atque excitavit, ut ad ulteriora niteretur, & que ipsi adhuc deerant, studiosè quæreret, ut loquitur Victor Antiochenus in cap. 12. Marc. Nam. i favebat quidem Christo, honestè de ipso sentiebat, & hac ratione à discipulatu Christi & consequenter à regno Dei non longè aberat, interim tamen nondum credebatur in Christum, nondum agnoscebat ipsum esse promissum Messiam, propter quem solum remissio peccatorum & vita æterna nobis obtingant. Jam verò ut quis sit in regno Dei, ut adscribatur Ecclesiæ Christi & sit vivum illius membrum, non sufficit honestè de Christo sentire, sed requiritur vere in Christum credere. Rectè quidem judicabat, dilectionem Dei & proximi præferendam esse sacrificiis, interim persuasus erat, posse hominem huic mandato dilectionis perfectam obædientiam præstare, eademq; peccatorum remissionem & vitam æternam mereri. Non agnoscebat naturalem immunditiam per lapsū primorum parentum contractam & in omnibus posteris propagatam, ideò non erat sollicitus de vera penitentiâ, sed quærebat de maximo legis mandato, cuius impletioni maximè studere debebat, ut vitam æternā in lege promissam sibi compararet, unde etiam*

jam

iam Christus ipsum adhuc à regno Dei abesse docet. Apparet autem ex his Christi verbis. 1. Esse quidem gradum non contemnendum ad regnum Dei, rectè intelligere legem, interim tamen requiri insuper, ut Christus ex Evangelio rectè agnoscat & fide apprehendatur: *Christus enim est finis legis ad justitiam omni credenti* Rom. 10. v. 4. 2. Illum non longè abesse à regno Dei, qui veritatem promptè amplectitur, & affectu animi discendi cupidum, qui agnoscit, dilectionem omnibus sacrificiis anteferendam, ac paratus est Deum & proximum pro virili diligere. 3. Illum esse *in regno Dei*, hoc est, inter cives hujus regni locum habere, qui *ἀδυναμία* implendi legem rectè intelligit, verè in Christum credit & ex fide Deum & proximum diligit. 4. Illos longissimè à regno Dei abesse, qui Ceremonialia operibus moralibus præferunt, qui juxta traditiones humanas vel proprii cordis ad inventiones Deo servire cupiunt, qui justitiæ propriæ opinione fascinati justitiam Christi in Evangelio oblatam repudiant, qui præcepta de dilectione Dei & proximi pedibus conculcant, qui veritati pertinaciter reluctantur, &c.

Tandem subjungit Evangelista, *quod nemo post illa ausus fuerit Christum interrogare. ἐκεῖν ἀμπίως* abundat negatio ex idiotismo Græco, *ἐδείξ ἐκεῖν ἰσολογία*. Vulgata reddidit, *jam, ac si poneretur pro*

ἦδη. Erasmus *post illa, ac si poneretur μετὰ ταῦτα*. Postquam hic Scriba, qui omnium opinione erat legis divinæ peritissimus, & in quo certaminis quasi *ἀκμή* erat collocata, non solum fuerat à Christo victus, sed etiam propriâ confessione veritatis & victoriæ palmam ipsi tribuerat, reliquorum omnium ora sunt oclusa, ita ut *nemo eum amplius auderet interrogare*, hoc est, insidiosis quæstionibus tentare, ne plus ignominie quam gloriæ apud populum præsentem & audientem ex eo referret. Ut enim Duce militiæ victo & capto reliqui milites sponte sese dedunt, sic omnes reliqui Scribæ, Pharisei, Sacerdotes, Seniores &c. hujus Scribæ, quem in hac acie contra Christumeducta quasi capitaneum elegerant, approbationi sese submiserunt. Videbant se frustra eum tentare, quem nemo poterat superare; frustra eum impetere, quem nemo poterat dejicere; frustra adversus eum insurgere, quem nemo poterat confundere: relictis igitur quæstionum tendiculis de aliis Christo injiciendis vinculis deliberant. Ut autem Christus hoc loco gloriosum ab hostibus in hoc verbali certamine triumphum retulit: ita in passione & morte paulò post infecuta à Diabolo & tota potestate infernali in certamine illo verè & maximè reali itidem gloriosam retulit victoriam, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor & gloria in seculum.

CAPUT CLVII.

JESUS QUÆSTIONEM DE CHRISTO PHARISÆIS
PROPONIT. MATTH. 22. VERS. 41. MARC.
12. VERS. 36. LUC. 20. VERS. 41.

RATIO ORDINIS.



Quæstioni de maximo legis mandato à Scriba quodam Jesu propositæ unanimi consensu Evangelistæ subjiciunt quæstionem ab ipso Jesu propositam Phariseis de Christo, *cujus sit filius*. Dixerat Matth. v. 34. *Phariseos, postquam audissent silentium Sadduceis fuisse impostum, convenisse in unum & unum ex eis Christum de maximo legis mandato interrogasse, v. 41. addit: Congregatis autem Phariseis interrogavit eos Jesus, hoc est, cum quæstioni Phariseorum à Christo esset satisfactum, ipsique in templo adhuc congregati starent, Christus ἀποκρίσας proposuit ipsis quæstionem. Marcus eodem modo seriem Historiæ connectit: Nemo ulterius audebat Christum interrogare, inquit v. 35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo. Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse Davidis? ubi *καὶ* ponitur pro particula adversativa, ut apparet ex Luca, qui ejusmodi connexionem monstrat: non amplius audebant eum quicquam interrogare, dixit autem ad illos, &c. hoc est, ipsi quidem non audebant ulterius quæstionibus illum exercere, sed ipse interrogavit adversarios suos, ut par pari reponeret. August. lib. 2. de conf. Evang. cap. 174. Lucas de illo tacet, qui interrogavit Dominum, quod esset mandatum primum in lege. Hoc autem prætermisso eundem etiam ipse ordinem servat Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.*

(quem Matthæus & Marcus) & hoc de Christo, quomodo sit filius David, quæ sibi à Judæis Dominum pariter narrat. Potest autem hæc Historiæ series de multis utiliter nos monere. Hilarius can. 23. in Matth. putat hanc quæstionem à Christo propterea adjectam, ut ostenderet, quis nomine proximi in præcedente dilectionis mandato sit intelligendus. Ut legis ipsius (inquit) verbis argui possent, & de proximo manifestior intelligentia panderetur, requirit, quid illis videretur, Christus cujusnam filius futurus esset. Sed ostendimus superius, nomine proximi rectius intelligi quemvis hominem Naturæ communione nobis propinquum. Alia igitur connexionis ratio quærenda. 1. Pharisei, Sadducei & Scribæ hæcenus conati fuerant Christum variis modis illaqueare, nimirum quia existimabant ipsum esse merum ac nudum hominem, Christus igitur hac quæstione suam divinitatem ipsis demonstrare voluit, ut intenderent, contra quem quæstionum suarum spicula hæcenus direxerint, quæ sapientiæ victi fuerint & confusi. Autor operis imperf. homil. 42. *Judei æstimante hominem Christum tentabant, nec enim tentassent eum, si filium Dei credidissent. Volens ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fallaciam cordis eorum, & quia non erat (nudus) homo, qui tentabatur, sed Deus, quem nemo poterat tentare. Nec dicere poterat manifestè*